

**OPERA
LITURGICA.**

PRAXIS DIVINI OFFICII

JUXTA

RITUM ROMANUM,

AD MENTEM RUBRICARUM BREVIARII ET MISSALIS ,
NECNON DECRETORUM S. R. C.

STUDIO ET OPERE

R. D. TOSSANI-JOSEPHI ROMSÉE,

PRESBYTERI, ET QUONDAM SACRORUM RITUM IN SEMINARIO LEODIENSI
PROFESSORIS.

EDITIO NOVA

A Sacrae Theologiae Professore accuratè revisa, nec non vitâ Auctoris
variisque notis illustrata.

Tomus Tertius.



MECHLINÆ.

P. J. HANICQ, TYPOGR. ARCHTIF. MECHL.

CUM APPROBATIONE. — 1858.

PRAXIS

DIVINI OFFICII



1994/993

CAA 052-3
1838

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.



PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Ut in lucem prodit editio tertii libri, cui titulus: Praxis celebrandi missam, tum privatam, tum solemnem juxta ritum Romanum, plures è clericis summoperè optârunt aliud simile opusculum, in quo haberent quid sibi agendum veniat variis anni temporibus, solemnitatibus et festis, tam in publica, quàm in privata officii recitatione. Difficultates multæ et magnæ, quæ se undique offerebant, partim ex obscuritate rubricarum, partim ex multitudine et interdum dissonantia decretorum sacræ rituum Congregationis animum et calamum aliquamdiu suspenderunt.

Ast animo revolvens, defectu libri manualis, in quo divinorum officiorum ritus explanati videantur, multos in turpi eorum ignorantia detineri, indèque errores non minùs cultui divino, quàm populo christiano injuriosos pullulare; ideò statui, præactas

vincere difficultates, et in uno parvo volumine colligere omnia, quæ ad cantum et laudum divinarum recitationem spectant.

Ad stimulandam autem lectoris curiositatem, præcipuarum cæremoniarum rationes, modò litterales, modò spirituales reddidimus; breviter tamen, ne opus in amplum volumen cresceret, sed simul ita cautè, ut nihil è scitu necessariis et utilibus fuerit prætermissum; cùmque nonnulli in operibus assertorum fundamenta perquirant, æquum et justum duximus juri eorum facere satis: quare decreta sacræ rituum Congregationis, quæ ad propositam in hoc libro materiam spectant, collegimus, et suis respectivè locis adjecimus cum data uniuscujusque, et sub his verbis initialibus S. R. C. Præterea auctorum è quibus (rubricis et decretis deficientibus) hausimus, loca exactè notavimus, ut ad fontem quispiam, si cupiat, recurrere possit.

Accipe igitur, lector benevole, hanc præxim divini officii; illam junge præxi celebrandi missam, ac utriusque diligenter folia volve; non tantùm rudem et informem, sed et completam ac perfectam sacri ministerii rituum scientiam facili studio promere valebis.

Hac super re velim advertas præfatam cæremonialis ecclesiastici scientiam vi statûs clericis esse sub gravi debitam, sic ut in sacris paginis teterimæ proferantur maledictiones in eos qui cære-

moniale illud ignorant, vel observare negligunt: quippè lib. 1. Reg. cap. 2, filii Heli dicuntur filii Belial, eò quòd nescirent Dominum, neque officium sacerdotum; eorumque peccatum, quia populum offendebat, grande nimis coram Domino ibidem declaratur. Jerem. autem cap. 48. v. 10, dicitur: Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter (negligenter). Antiquum equidem et tritum est hoc ultimum anathema, sed terribile semper manet sacerdotibus novi fœderis; nam si maledictus filius Aaron, aut quivis alter levita sordidè faciens opus Dei, millies profectò maledictus qui idem Dei opus in lege nova, cujus antiqua solùm umbra fuit, cum simili negligentia reatu exercere non dubitat.

Recogita deindè, quæso, cui sub sacro ministerio famuleris, non alteri sanè, quàm Regi sæculorum immortalis, in cujus conspectu ipsæ tremunt angelicæ potestates. Eheu! Aulici, antequam se conspectibus regum et principum terræ exhibeant, maximâ curâ et sollicitudine nimiâ notitiam regii cæremonialis sibi comparant; stantes autem coram illis majestatis terrenis, incredibili, seu quâ major excogitari nequit, modestiâ, gravitate, reverentiâ, et accurate dictum cæremoniale servant et tenent.

Hanc mundanorum praxim vide et seriò considera, ac videndo et considerando erubescere, tu, qui fortè à pluribus annis irreverenter irruis in sanctuarium Dei viventis, quique præ ignorantia cultus

ibi ab Ecclesia præscripti, negligenter Regi regum, Domino dominantium et Deo deorum servis et ministras : erubescere, inquam, super hoc et emendare, sic ut exactissima deinceps cæremoniarum ecclesiasticarum observatio præteritorum tibi sit in remissionem neglectuum. Vale.

PRAXIS

DIVINI OFFICII

JUXTA

RITUM ROMANUM.

In hoc opere tractatur de officiis, seu festis mobilibus, de eorum ritibus et cæremoniis propriis, ac rationibus, cur dicti ritus et cæremoniæ fuerint ab Ecclesia instituta. Accedent deindè observationes quædam in festa propria Sanctorum, patroni et dedicationis ecclesiæ, necnon in partes præcipuas divini officii. Tandem concludetur hoc opus appendice de quibusdam spectantibus ad recitationem divini officii. Ut hoc fiat majori cum ordine, materia dividetur in articulos, et cum materia articulorum prolixior se offeret, hos subdividemus in paragraphos.

ARTICULUS PRIMUS.

De adventu.

I. ADVENTUS nomine, solus dies Nativitatis Domini olim veniebat, (1) à quo annus ecclesia-

(1) *Grancolas*, tom. II. de tempore adventus.

sticus exordium sumebat, idque ob solis reditum, qui moraliter loquendo, tunc accidit, vel potius ob ortum solis justitiæ, qui natus est in terris 25 Decembris (1); nunc verò per adventum, tempus præcedens festum Nativitatis Domini intelligitur. Porrò tempus illud in Ecclesia constanter idem non fuit: in nonnullis locis quadraginta dies comprehendebat (2), et consequenter alterâ sancti *Martini* incipiebat; et hinc est quòd in festo præfati Pontificis, quædam bacchanalia hodie agantur, uti practicatur diebus ante feriam cinerum: quia erat ultima dies quâ carnes licebat comedere. In aliis quinque hebdomadas, vel etiam duas tantum complectebatur; tuncque temporis vigeat lex jejunii, sed non ubique uniformis; in quibusdam enim ecclesiis per totum adventum ligabat; in aliis verò certis tantum hebdomadæ diebus: in his erat licitus carniæ esus; in illis omninò prohibitus: in certis locis jejunium afficiebat solos clericos; in aliis etiam laicos (3).

II. Usu moderno, adventus tres hebdomadas integras et quartam ordinariè dimidiatam tantum involvit; incipitque dominicâ proximiorè festo *S. Andreae*. Quòd si festum hujus apostoli incidat in dominicam, illa est prima dies adventus. Quantum ad jejunium, amplius non viget: illius tamen vestigia adhuc cernuntur in nonnullis religiosorum familiis: Græci etiam septem jejunii

(1) *Mart. Gebert*. De liturg. Alemanica, part. 3. disp. 9 n. 2.

(2) Ex missalibus Gallicano et Ambrosiano.

(3) *Merati*, tom. 1. p. 4. tit. 1. n. 1.

dies in adventu retinuerunt, et in variis Ecclesie Latinæ locis, occasione abrogationis quorundam festorum, quædam jejunia in adventu sunt restaurata.

III. A dominica prima adventûs nunc exordium sumit annus ecclesiasticus, uti patet ex ordine missalium et breviariorum. Hæc dominica, utpotè major primæ classis, impedit officium cujusvis festi, licèt solemnissimi, sic etiam, ut in hac die ultra missam dominicæ cantari non possit secunda de festo, v. g. patroni (1). In aliis adventûs dominicis, occurrente festo primæ classis, non secundæ, fit hujus festi officium cum nona lectione dominicæ, et illius commemoratione ubique (2).

IV. Missa dominicæ tertiæ adventûs incipit per verbum *gaudete*, et ideò juxta *Castaldum* (3) celebrari debet quodam cum solemnitatis et lætitiæ apparatu; quare inter candelabra sunt apponenda vasa cum floribus, et ubi dantur, reliquiæ, seu Sanctorum imagines; hâc etiam die diaconus et subdiaconus assumunt ad missam dalmaticas: pariter et infra hebdomadam ad missas feriales, in quibus cantatur introitus *gaudete*,

(1) In ecclesiis autem, ubi est titulus, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ missæ, una de die, alia de festo (*scilicet cum Gloria et Credo*), exceptâ dominicâ primâ adventûs, feriâ quartâ cinerum, dominicâ primâ quadragesimæ, dominicâ palmarum cum tota hebdomada majori, dominicâ Resurrectionis, et dominicâ Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et festo corporis Christi. Rub. gen. miss. de transl. fest. tit. 6.

(2) Rub. gen. brev. tit. 10, de transl. fest. n. 1.

(3) Lib. 3. sect. 1. n. 3.

non autem ad alias IV temporum. Vide art. VI seq n. X.

V. Infra hanc hebdomadam, seu tertiam adventûs, jejunium IV temporum habetur, et die sabbati ordinatio, de quibus verbum faciemus. Disputatur de origine hujus jejunii, quod in quatuor anni partibus, nempe hiemali, verno, æstivo et autumnali tempore observatur, quodque ter in quavis anni parte, scilicet feria IV, VI et sabbato repetitur, sic ut per annum 12 dies jejunii inveniantur, quibus totus annus in duodecim menses divisus sanctificari censetur. Horum jejuniorum exemplar habemus in veteri Testamento (1), ubi referuntur his verbis: *Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi*, scilicet mensis, *erit domui Jacob in gaudium*, etc. Hæc autem non fuisse ab ipso Ecclesiæ exordio observata, multi ex silentio patrum nascentis Ecclesiæ inferunt, verùm S. Leo Magnus, qui circa medium V. sæculi floruit, eorum institutionem ab apostolis apertè repetit (2): et cùm illius testimonium sit positivum, prævalet negativo, quod ex silentio aliorum depromitur; quare credendum est jejunia IV temporum mox ab Ecclesiæ incunabulis viguisse saltem in Italia, undè transierunt ad ecclesias particulares, et quidem in Hispanias ante sæculum VII, prout ex S. Isidoro (3) discimus, qui et refert unum jejunium ad tres ultimos dies hebdomadæ post Pentecosten, aliud

(1) *Zachariæ*, cap. 8, v. 19.

(2) Sermone I. de jejun. decimi mensis, serm. 5. et serm. 8.

(3) Lib. 1. de div. off.

ad mensem Septembrem , tertium ad Novembrem , et quartum ad calendas Januarii. Nonnulli , inter quos *Grancolas* , hujus jejunii institutionem in Galliis figunt in VIII sæculo ; illa saltem videtur approbata in conc. Moguntino anni 815 (1) et capitularibus (2) his verbis : *Constituimus , ut IV anni tempora ab omnibus cum jejuniis observentur in mense Martio , hebdomadâ primâ... in mense Junio hebdomadâ secundâ... in mense Septembri hebdomadâ tertiâ , et in mense Decembri hebdomadâ quæ fuerit plena ante vigiliam Nativitatis Domini.* Verùm tenet *Merati* jejunia IV temporum in Galliis viguisse ante sæculum VIII , et concilium citatum ac capitularia praxim hanc jam vigentem solùm confirmasse. Interim varietatem , quæ in tempore horum jejuniorum habebatur , extinxit *Victor II* , anno 1054 , aut saltem synodus Claramontana anni 1095 , ubi fixè statutum fuit , ut jejunaretur feriâ IV , VI et sabbato hebdomadæ tertiæ adventûs , hebdomadæ primæ quadragesimæ , octavæ Pentecostes , et hebdomadæ , cujus feria 4 sequitur festum exaltationis S. crucis.

Quoad ordinationem , primis Ecclesiæ sæculis , nisi necessitas urgeret , solùm fiebat sabbato IV temporum Decembris , indeque est in vitis antiquorum Pontificum legi eos tot ordinationes habuisse mense Decembri. Verùm multiplicatis fidelibus et ecclesiis , cùm multiplicari consequenter debuerit soboles clericalis , *Gelasius* Papa constituit , ut omnibus sabbatis IV temporum , sabbato ante dominicam passionis , et sabbato sancto

(1) Can. 34. (2) Lib. 5.

fierent sacrae ordinationes ; porro ita cautè ad vesperam sabbati incipiebant , ut consummarentur in die dominico manè per celebrationem missæ , cui alia non succedebat , et hinc est dominicà IV adventûs , et II quadragesimæ , idem esse evangelium missæ sabbati et dominicæ sequentis : hunc usum durasse usque ad initium sæculi XII testatur *Rupertus* abbas Tuitiensis (1). Ast à multis sæculis , ob difficultatem protrahendi jejunium usque in diem dominicum , vel alia de causa , opus ordinationis totum perficitur die sabbati , et quidem ante meridiem. Fit autem ordinatio die sabbati , et non feriis præcedentibus , ut jejunia et preces ad obtinendum à Deo dignos Ecclesiæ ministros præeant ordinationi : ita *S. Carolus* (2) ; olimque in ipso die dominico perficiebatur , quia illo die Spiritus S. illapsus est apostolis , cujus mysterii renovatio habetur in colatione sacrorum ordinum.

VI. Toto tempore adventûs , in officio sanctorum et missa , etiam primæ classis , fit commemoratio feriæ , utpotè majoris , non tamen legitur in fine missæ evangelium dominicæ præcedentis loco evangelii *S. Joannis* , quia non est feriæ proprium , nec repetitur in officio per hebdomadam.

VII. Quando vigilia *S. Andreae* , vel *S. Thomæ* occurrit in officio feriali , missa dicitur de vigilia : licèt de hac nequidem fiat commemoratio in laudibus. Dum autem vigilia occurrit in festo dup. vel semidup. in missa de festo , quamvis aliundè

(1) Lib. de dif. off. cap. 8.

(2) Conc. provinc. tit. 1. decret. 22.

missa vigiliæ præferatur missæ feriali adventûs, tamen secunda oratio ponitur feriæ, et tertio tantùm loco de vigilia, ac in fine legitur evangelium *S. Joannis*, non autem de vigilia, de qua homilia non fuit lecta in officio. Quando vigilia occurrit in quatuor temporibus, missa dicitur de feria quatuor temporum cum commemoratione vigiliæ, et in fine evangelium *S. Joannis* ut supra. Quando tandem vigilia occurrit in festo primæ classis, de ea nihil in officio et missa, sed solùm fit commemoratio feriæ: quòd si fuerit una è quatuor temporibus, in fine missæ ponitur hujus evangelium.

VIII. Infra adventum omittuntur in vesperis et laudibus consueta de cruce et sanctis suffragia, idque ad extollenda magis Christi merita; cùm enim sit supremus inter Deum et peccatores mediator, Ecclesia expectans illius adventum, prætermisissis sanctorum suffragiis, eum solum invocat.

IX. Ultimis adventûs diebus assignantur septem antiphonæ solemnes ad *magnificat*, quæ ideò ante et post canticum duplicantur; incipiuntque omnes per exclamationem O! quâ exprimuntur patriarcharum desideria in Christum primò venturum, et nostra, in eundem, ut veniat ad nos per gratiam. His piis gemitibus et suspiriis sensus prædictarum antiphonarum apprimè consonat. Septem autem sunt ob septem dona sancti Spiritûs, quorum plenitudinem Christus habuit, et quorum infusione intus reformari supplicamus (1).

(1) Rationale *Durandi*, lib. 4. cap. 11. n. 4.

Olim dictarum antiphonarum idem non fuit numerus; nam in quibusdam ordinibus Romanis octava legitur *O Virgo virginum*, eademque legitur apud *Amalarium* (1). *Tomassinus* octo præfatis quatuor adjungit, nempe unam ad Angelum mysterii incarnationis nuntium *O Gabriël*, alteram ad Messiam *O rex pacificus*, tertiam ad Virginem Christi matrem *O mundi Domina*, et quartam ad urbem principem Palestinæ, ubi Christus natus, nempe in Bethleëm, *O Jerusalem*. *Theodorus Augustodunensis* (2) duodecim habet in memoriam duodecim prophetarum, qui de adventu Christi prædixerunt. *Durandus* (3) sæculo XIII septem enumerat, prout jacent in breviario Romano, sed addit in quibusdam locis his duas fuisse superadditas, scilicet *O Virgo virginum*, et alteram de Angelo, qui ad eam introivit, vel de *S. Thoma*, cujus festum tunc incidit: *O Thoma Didyme*. Hanc de *S. Thoma*, et alteram de Beata retinuit usus Ecclesiæ Leodiensis, qui et decimam habet *O summe artifex*: Ecclesia verò Parisiensis ab anno 1680 his substituit *O Pastor Israël* et *O Sancte Sanctorum*. Verùm *Pius V* in reformatione breviarii Romani numerum harum antiphonarum ad septenarium fixè reduxit, prout antè habebat passim usus, uti constat è *Durando* suprà citato. Hic etiam observari potest differentia quoad tempus, quo prædictæ antiphonæ ponebantur: juxta quosdam ordines Romanos incipiebant in festo *S. Nicolai* et finiebant in festo

(1) De ord. antiph. cap. 14.

(2) Lib. 5. cap. 5.

(3) Lib. 6. cap. 11. n. 5.

S. Luciae; nunc verò incipiunt 17 Decembris, et terminantur die 23 ejusdem mensis.

Quando et quomodò cesset officium octavæ in adventu, dicitur in articulo XXI. §. 3.

ARTICULUS II.

De vigilia et festo Nativitatis Domini.

I. VIGILIA Nativitatis Domini jejunium habet sibi annexum, idque jure antiquissimo: nam de eo loquitur *S. Augustinus* tamquam generaliter in Ecclesia vigente; (1) habetque ritum duplicem saltem à laudibus inclusive; ac tanta est hujus vigiliæ solemnitas, ut quodvis officium etiam primæ classis excludat.

II. Ad Primam, dum hæc verba martyrologii proferuntur: *In Bethleëm Judæ Jesus Christus filius Dei nascitur*, in choro omnes tenentur flectere duobus genibus.

III. Ad missam hujus vigiliæ adhibetur color violaceus, celebraturque sine *Gloria* et *Credo*, ac in ea una tantum dicitur oratio: proindèque si aliqua fortè sit ab episcopo assignata pro publicis necessitatibus, hæc est omittenda.

IV. Missa principalis hâc die post Nonam cum solemnitate celebratur, et si SS. Sacramentum fuerit sub illa expositum, orationi vigiliæ adjungitur collecta de Venerabili; idque videtur sub una conclusione faciendum: quia licèt officium sit simpliciter duplex, missa tamen est

(1) Epist. 65. al. 236, ad *Xantippum* Numidiæ primatem.

æquivalenter primæ classis, ratione scilicet solemnitatis quâcum peragitur.

V. Si præfata vigilia venerit in dominicam quartam adventûs, missa celebratur in paramentis violaceis cum commemoratione Dominicæ, omittiturque in ea hymnus angelicus, sed ratione dominicæ dicitur *Credo*. In fine legitur evangelium *S. Joannis*, non autem dominicæ: quia, ait *Gavantus*, lectum fuit die præcedente, sed melius, juxta *Bauldry*, quia non fuit lectum in tertio nocturno matutini, pro eo quippè substituitur homilia vigiliæ.

VI. Ab hac die usque ad diem octavam Epiphaniæ prohibentur missæ votivæ et de *requiem*. Quibus autem diebus solemnnes cantari possint; vide praxim celebrandi missam, tom. I. part. 1. art. III.

VII. Nativitas Domini, ut auctores communiter tradunt, olim indistinctè cum illius Epiphania celebrabatur. Quandonam autem unum ab altero fuerit secretum, præcisè non constat: videtur tamen id accidisse sub temporibus *S. Joannis Chrysostomi*, qui floruit sæculo IV; loquens enim (1) de festo Epiphaniæ, ait: *Et quidem nondum decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifestè nobis innotuit.*

VIII. Hoc festum celebratur 25 Decembris, quia creditur hâc die Christum fuisse in Bethleëm natum; estque, si excipiantur Pascha et Pentecostes, celebrius totius anni; habet quippè ritum primæ classis cum octava privilegiata; nam quocumque festo occurrente, etiam patroni,

(1) Tom. V. sermone 51.

habet vespervas usque ad capitulum, et commemorationem sibi vindicat in vespervis, laudibus et missa, illustraturque privilegio singulari, quo licet cuilibet sacerdoti hâc die ter missarum solemnias celebrare. Tandem quocumque die incidat Nativitas Domini, sive feriâ sextâ, sive sabbato, in nonnullis locis, et notanter in hac Patria, carnibus vesci licet, sicut et omnibus sabbatis sequentibus usque ad festum Purificationis B. M. V. inclusivè; hoc est, quòd si veniat in sabbatum, etiam ipso die Purificationis esus carniû sit licitus.

IX. Ad matutinum, in tertio nocturno tria ponuntur evangelia, et tres in ipso homiliæ; idque ad sensum rubricarum, quæ exigunt unum et idem legi evangelium in matutino et missa; cùm autem quælibet missa in Natalitiis Domini habeat evangelium proprium, necesse fuit ad servandam legem communem ut tria assignarentur matutino evangelia.

X. Prima missa, ut servetur tempus in missali assignatum, celebrari debet de nocte, et quidem statim post mediam noctem inchoari potest in memoriam temporis quo Christus natus est: Nativitati enim illius adaptat Ecclesia illud Sap. 18. *Dum medium silentium tæxerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit.*

Ad hujus missæ celebrationem, maximè convenit sacerdotem esse jejunum à sex circiter horis (1); et sanè reprehensibiles sunt, qui ad

(1) Ita *Gavantus* et *Francolinus*, quos citat et sequitur *Merati*, tom. II. part. 4. tit. 3. de Natali Domini n. 12.



pulum duodecimæ dimittunt cuppas profanas, et pede præcipiti tendunt ad altare mox commixturi cum sibus et potibus terrenis pretiosum corpus et sanguinem Christi Domini; quantumvis enim tales non peccent in legem jejunii naturalis, rei tamen sunt irreverentiæ erga hoc tremendum mysterium.

XI. Tempus missæ secundæ hujus diei assignatur in aurora, seu in lucis nascentis crepusculo; idque in memoriam pastorum, qui circa idem tempus ad præsepe venerunt, puerum natum adoraturi (1). In hac missa fit commemoratio *S. Anastasiæ*, super qua observat *Amalarius* lib. 4. quòd primitus tantùm habuerit locum Romæ, in ecclesia huic martyri dicata; ad illam quippè circa diei crepusculum habetur statio, cujus occasione secunda missa ibi celebratur, et cùm ibidem quiescant reliquiæ dictæ martyris, ideò additur illius commemoratio; subjungitque *Merati* (2) commemorationem prædictam ad alias ecclesias non transisse, nisi postquam ad illas missale Romanum inductum est: undè colligi potest ex inadvertentia typographorum commemorationem *S. Anastasiæ* fuisse insertam missalibus Romanis extra Italiam impressis; utentes enim exemplari editionis Romanæ, non reflexerunt dictæ *Anastasiæ* commemorationem præcisè afficere ecclesiam illi dicatam; adeòque fuisse negligendam pro aliis locis. Interim, quidquid sit, jam ex usu antiquo et generali ubique fit, et omninò usus ille videtur retinendus.

(1) *Durandus*, lib. 6. ap. 4. n. 21.

(2) Tom. II. p. 4. tit. 5. de Natali Domini, n. 9.

XII. Tertia missa dicitur orto jam sole, seu in clara luce, in memoriam Christi, quatenus est lumen mundi, de quo Joannis 1. scriptum est, quòd sit *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum* (1).

XIII. In his tribus missis speciali ratione dicitur hymnus angelicus, quia scilicet angeli hâc die pastoribus evangelizantes nativitatem Christi, eidem simul cecinerunt *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

In prima et secunda missa, celebrans diligentius sumit sanguinem; quare hausto calice, ut moris est, illum invertit super patenam, ut guttulæ ad labium adducantur, quas deindè sic surgit, ut nihil, quantum fieri potest, supersit intrâ cuppam, et præsertim circa labium illius, ne scilicet residuum adhæreat patenæ, quâ mox calix est tegendus. Sumpto igitur, ut supra, sanguine, celebrans calicem deponit in medio corporalis, ac patenâ et pallâ coöperit, dicens: *quod ore sumpsimus*, etc.; postea discedit de medio, et vadit ad cornu epistolæ, ubi digitos abluit in aliquo vase mundo, quamvis profano, dicens: *corpus tuum, Domine, quod sumpsi*, etc., exsiccatisque purificatorio digitis, locat dictum vas cum purificatione in parte posteriore altaris prope corporale, et ut pallâ textit, juxta illud ponit purificatorium et cochlear. Redit deindè ad medium, ac revolutâ parte corporalis anteriore, velo coöperit calicem, et missam prosequitur.

(1) *Durandus*, lib. 6. cap. 15. n. 22.

In missa solemni, dum celebrans digitos abluit, subdiaconus accedens versus medium altaris, revolvit partem anteriorem corporalis et calicem intrà corporale velo coöperit, relinquensque corporale in altari, assumit calicem, ac transfert ad credentiam vel in sacristiam, ubi locat illum supra paratum corporale. Nota ergò hic, quòd calix, ob species sanguinis verosimiliter in eo residuas, tangi et transferri semper debeat à constituto in sacris ordinibus, et ubicumque deponatur, subesse debeat corporale.

Utrùm autem ob remanentes in fundo calicis reliquias sanguinis, celebrans transiens ante calicem in missa privata uno genu flectere debeat? Casus fuit S. R. C. propositus, et stetit pro parte negativa (1), ac ratio hujus est, quòd sanguis supponatur omninò è calice haustus, sitque per accidens, si quæ illius guttulæ in fundo remaneant; quare in dubio præstat genuflexionem ommittere, quàm fortè vanum exhibere cultum sanguini divino in calice non exstanti.

Ad offertorium secundæ et tertię missæ, celebrans in missa privata, deposito velo, parùm removet è medio calicem, sed intrà corporale; dum autem vinum infundit, sustinendus est calix ab altari elevatus, ac ita cautè est vinum infundendum, pariter et aqua, ut guttulæ non

(1) In transeundo de una ad alteram partem altaris in prima, secunda, et tertia missa Nativitatis Domini serventur rubricæ missalis, quæ nullam præscribunt genuflexionem ante calicem esse faciendam S. R. C. 2. Aug. 1698, idem statuerat 20 Julii 1686, et ultrà, sacerdotem dicentem *Dominus vobiscum*, debere renes ad altare omninò vertere, uti in missis, in quibus non habetur expositio.

dispergantur intrà cuppam : quòd si hoc accidat , calix non est purificatorio abstergendus , saltem quando subest dubium an species sint exsiccatae , quare tunc circummotione vini intrà calicem adunari debent , quo non succedente , formanda est intentio consecrandi massam vini in fundo calicis , et solùm illud quod est ei contiguum ; hæcque intentio in omni missa videtur formanda (1).

In secunda et tertia missa solemnè , ad offeritorium diaconus recipiens calicem à subdiacono eum deponit in corporale , ac tenens , ut suprà , calicem ab altari elevatum , infundit vinum , et subdiaconus aquam cum supradictis præcautionibus. In tertia missa , peractà purificatione , et ablutione , abstersisque digitis , celebrans ablutionem è vasculo immittit in calicem , ac illum sumit simul cum ablutione digitorum tertiæ missæ. Postea os purificatorio exsiccatur , deindè calicem , et vasculum.

Quæres 1.º an tres missas de nocte celebrare liceat ? Id fuit pluries prohibitum à S. R. C. et insuper ne de nocte communicatio fidelibus distribuatur (2) , sicque practicatur in Italia. Ast in his partibus consuetudo generalis habet , ut immediatè post duodecimam nocturnam , non tantùm tres missæ celebrentur , sed et laicis

(1) *Pisart.* p. 4. tit. 2. de festo Nativ. Dom. n. 5.

(2) In nocte Nativitatis Domini post cantatam primam missam , nullo modo possunt aliæ duæ immediatè celebrari , neque fideles communicari. S. R. C. 14. Jan. 1640 , et anno sequenti 7 Decemb. idem firmavit his verbis : prohibendum tam sacerdotibus celebrare volentibus , quàm confluentibus in media nocte ad ecclesiam et communionem deposcentibus. Idem quoque ratificavit , 22. Nov. 1681.

communio distribuatur. Fatendum tamen praxim Italiæ, quâ tres missæ disjunguntur, esse rubricis conformiorem, ac religiosiorem; siquidem illius observatione totum mane hujus magnæ festivitatis meliùs sanctificetur: undè optandum foret, ut ubique plantaretur decretum S. R. C. legitima publicatione (1).

Quæres 2.º an tres missas sacerdotes et laici teneantur respectivè celebrare vel audire? Cùm triplicatio sacrificii in hac die sit privilegium, nulla resultare potest obligatio in sacerdotibus ter missarum solemniam repetendi, nec in laicis illas audiendi, proindèque sacerdotes, præcisè quâ tales, unam tantùm missam legentes, omninò satisfaciunt obligationi, sicut et laici unam tantùm audientes.

Dixi *sacerdotes præcisè quâ tales*, quia si triplicatum, quod nullâ lege prohibetur, stipendium recipiant, ad tres missas ex justitia tenentur. Pariter pastores, quamvis rigorosè semel tantùm celebrare debeant, tamen cùm fideles hâc die ardentè cupiant tribus missis interesse, ad evitandam omnem in populo commotionem, et fortè scandalum, tres celebrare debent.

(1) Consultò, inquam, foret, ut dispositio Ecclesiæ Romanæ ubique vigeret. Multa quippè et gravia mala è medio tollerentur; nam plebs expectando insomnis mediam noctem, non obstante jejunii lege, se tradit commensationibus, et comotationibus sæpè ultra terminos temperantiæ, quibus adungi possunt in conventiculis masculorum et puellarum dissolutiones in materia luxuriæ: sic autem epulati inter lascivias tumultuosè procedunt ad ecclesiam: ibique ridendo, confabulando vel somno oppressi dormiendo, ut alia taceam, sacris adsunt mysteriis; statque pro multis in illa indevota et impia missarum auditione totum obsequium, quod impendunt Christo nato sub hac sacratissima festivitate. His gra-

Hic adverti potest ex *Benedicto XIV* (1), sacerdotem, qui ex fundatione ad missam quotidianam tenetur, posse in die Natalis Domini fructum duarum missarum sibi et aliis applicare; idque citatus Pontifex probabiliter extendit ad diem commemorationis omnium defunctorum.

Quæres 3.º an habens licentiam binandi, hâc die possit sexies celebrare? Juxta probabiliorem sententiam, solamque in praxi tutam, præfatus sacerdos ter tantum in die Nativitatis celebrare potest, quia licentia binandi conceditur præcisè ad subveniendum necessitati; porrò ad hoc sufficiunt tres missæ; celebrando enim duas in loco magis frequentato, et alteram in alio, omnes possunt satisfacere obligationi suæ: proindèque indultum non se extendit ad diem Domini Natalem.

Quæres 4.º quam missam ex tribus legere debeat, qui semel tantum celebrat? Respondeo illam, quæ correspondet tempori, sub quo legitur; adeoque si quis de nocte celebret, missam primam assumet; si circa auroram, secundam; si clarâ luce, tertiam. Nec in quavis, ut vult *Lacroix*, facienda est commemoratio *S. Ana-*

vissimis abusibus obveniret praxis Romana ubique introducta; aut saltem, si, ubi fieri potest, officium et missæ celebrarentur januis clausis, prout jam practicatur laudabiliter in nonnullis locis: ubi autem januæ patent, si prohiberetur, ne missæ privatæ celebrentur ante auroram. Tot et anta mala, quæ de anno in annum renovantur, et attento irreligionis infelici jam progressu multiplicantur, profectò attentionem ex parte superiorum merentur; suntque nata ad illa efficaciter impedienda eorum auctoritatem suscitare.

(1) Tom. 2. de sacrificio missæ, sect. 2. num. 68.

stasiæ, sed tantum quando secunda celebratur; huic quippè, et non aliis dicta commemoratio assignatur.

Finaliter hìc observa, quòd si sacerdos in prima vel secunda missa inadvertenter sumat ablu-tiones, abstinere debeat ab ulteriore celebratione, cum amplius non sit jejunus.

ARTICULUS III.

De festis infra octavam Nativitatis occurrentibus, et de Epiphania.

I. Post festum Nativitatis Domini sequuntur festa SS. *Stephani* protomartyris, *Joannis* evangelistæ, et Innocentium cum octava et feriatione in populo: hæc autem festa adjuncta sunt festi-uitati Incarnationis Dominicæ, ad illius solemnitate magis nobilitandam. Equidem in aliquibus locis feriatio horum festorum est extincta, et in aliquibus sola obligatio missæ in illis manet (1), sed in aliis res est adhuc integra.

II. Quando aliquis ex illis est patronus eccle-siæ, festum illius celebratur sub ritu primæ classis. Hic ritus nihil immutat in recitatione of-ficii *S. Stephani*, sed quasdam immutationes cau-sat in officio *S. Joannis*, et SS. Innocentium; undè in primis vesperis *S. Joannis*, ubi est pa-tronus, post antiphonas et psalmos de Nativi-tate, fit à capitulo de *S. Joanne*, cum memo-ria *S. Stephani*, et Nativitatis Domini; in secun-dis verò fit commemoratio SS. Innoc. et Nati-

(1) Nec feriatio apud nos mansit, nec obligatio missæ.

vitatis tantum. Pariter ubi SS. Innocentes sunt patroni, in primis vesperis fit commemoratio *S. Joannis*, et Nativitatis tantum; in secundis autem, Nativitatis tantum. Deindè infra octavam immediatè post commemorationem Nativitatis Domini, ponitur commemoratio *S. Joannis*, in vesperis, laudibus et missa: eodem modo fit de SS. Innocentibus, ubi sunt patroni.

III. Quando in die *S. Stephani* occurrit patronus ecclesiæ particularis, fit officium patroni sub ritu primæ classis sine octava, et officium *S. Stephani* transfertur in diem ipsius octavam, in qua officium recitatur ut in die festi, et sub eodem ritu; proindèque infra octavam Nativitatis nihil fit de *S. Stephano*. Idem dic, si patronus occurrat cum festo *S. Joannis*, vel SS. *Innocentium*.

Nec obest quòd, ut infrà dicetur, officia impedita in mense Decembri non possint transferri ad annum sequentem; cum enim octava alicujus Sancti sit idem festum per octo dies continuatum, cumque octavæ prædictorum Sanctorum se extendant à mense Decembris in mensem Januarii, propriè loquendo, dum ut suprà transferuntur, non fit eorum transportatio ad alterum annum.

IV. Quando circa finem anni communis, seu qui terminatur 31 Decembris, cum festo duplici vel semiduplici occurrit festum ritus altioris ratione cujus fieri nequit officium dicti dup. vel semid., si ampliùs non sit dies vacuus ante primam Januarii, in quo reponatur, non est transferendum ad annum sequentem, sed die quo incidit, celebrandum est sub forma simplicis, seu cum illius commemoratione in primis et se-

cundis vesperis, laudibus et missa, necnon nonâ lectione compactâ ex omnibus lectionibus propriis illius Sancti (1). Quòd si nihil proprium habeat, nona lectio omittitur : præfata autem commemoratio ponenda est ante commemorationem feriæ majoris vigiliæ, aut simplicis occurrentis (2).

V. Prima Januarii olim erat dies jejunii et pœnitentiæ in satisfactionem criminum, quibus Pagani celebrando festum *Jani* (3) Deum offende-
bant, calendis enim Januarii strenas sibi mutuò offerebant, et hâc occasione ebrietatibus, impudiciis, aliisque dissolutionibus se tradebant, in quorum detestationibus se Ecclesia affligebat (4). Ad hujus jejunii observationem fideles suo tempore hortabatur *Augustinus* (5); illiusque præceptum dedit concilium II. Turonense sub anno 567. Quando autem hoc jejunium desierit, nulli constat. In eodem concilio suprâ citato fit tantùm mentio missæ Circumcisionis, sed aliundè

(1) Aliud dicendum de Festis secundæ classis V. G. S. Thomæ Apostoli, quæ si celebrari non possint in die propria, et intra annum non supersit ullus dies vacuus, transferenda sunt in proximiorum diem, etiam impeditum Festo semiduplici aut duplici, quod illo anno redigatur ad ritum simplicem. Ita decreto generali declaravit et ubicumque servari mandavit S. R. C. die 15. Martii 1804. firmis remanentibus aliis declarationibus ab ipsa S. Congregatione emanatis de Festis inferioris ritus in simili casu non transferendis, sed ad ritum simplicem redigendis.

(2) Ita è variis decretis S. R. C. et notanter ex sequentibus 26 Novemb. 1735, 7 Dec. 1743, et 30. Aug. 1755.

(3) *Janus* fuit primus Italiæ rex : ei honores divini fuerunt concessi, et ab illius nomine primus mensis dicitur *Januarius*. (4) *Grancolas* de festo Circumcisionis.

(5) Serm. 7. in appendice.

scitur hâc die in multis locis duas missas fuisse celebratas; in missalibus quippè Gothico et Gelasiano una ponitur pœnitentiæ ratione jejunii sub hoc titulo : *Ad prohibendum ab idolis*, et altera mysterii Circumcisionis; *Martene* verò (1) refert in nonnullis ecclesiis unam celebrari de Virgine, scilicet *Vultum tuum*, etc.. et alteram de octava Nativitatis Domini; *Puer natus est*, etc. Ast extinctis excessibus, quibus calendis Januarii vacabatur, sublatum est jejunium, ac reformata est missa pœnitentiæ, jamque hic dies festivè et solemniter agitur, ac in illo passim una tantùm missa conformis officio, prout notatur in missali reformato *Pii V*, celebratur. Sub festo hujus diei tria recoluntur : 1.º Nativitas Domini, cujus est dies octava : undè in introitu missæ dicitur : *puer natus est nobis*. 2.º Circumcisionis Christi, quâ incepit fundi sanguis ejus in salutem generis humani, et de qua in evangelio diei (2) : *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*. Ac tandem fit memoria B. M. V. per orationem missæ et officii *Deus, qui salutis*, et antiphonas vesperarum *O admirabile commercium*, etc. : reliquum officii magis afficit Christum circumcisum.

VI. Vigilia Epiphaniæ sine jejunio celebratur ob solemnia Natalis Domini, quæ ad purificationem B. M. V. quodammodò se extendunt; nam eorum causâ omnibus sabbatis usque ad purificationem esus carniû est licitus (3), et

(1) Tract. de ant. eccles. discip. cap. 13. n. 15.

(2) *Lucæ*, cap. 2.

(3) Apud Gallas et Belgas.

hymni cantantur in tono proprio festivitati Natalis Domini. Officium hujus vigiliæ habet ritum semiduplicem cum novem lectionibus, vi cuius excludit festum duplex translatum; sed si in eo occurrat duplex fixum, de eo fit officium cum commemoratione vigiliæ ubique, ac nonâ illius lectione in matutino, et evangelio ejusdem in fine missæ, quod et locum habet, etiamsi duplex illud fuerit primæ classis (1).

VII. Epiphania vulgò festum trium regum nuncupatur, sed ex traditione non omnino certâ, quòd magi reges et tres numero fuerint; præcisè enim constat fuisse sapientes, philosophos et divites, forsanique regulos, quos Toparchas vocamus. Quoad numerum, quidam patres tenent tres fuisse, inter quos *S. Leo*, sermone qui legitur die quartâ infra octavam Epiphaniæ; verùm alii circa hoc altum tenent silentium; ita ut liberum sit unicuique in præsentì dubio sentire prout voluerit (2): interim in Ecclesia hoc festum colitur sub nomine *Epiphaniæ*, quæ manifestationem significat, vel *Theophaniæ*, quæ idem sonat ac Dei præsentiam: ideòque, quia sub hoc festo tria recoluntur mysteria, in quibus Salvator mundo manifestatus est; nempe baptismus Christi, sub quo Pater æternus eum agnovit Filium, dicens: *hic est Filius meus dilectus*, quod confirmavit Spiritus sanctus suâ præsentia in specie columbæ: deindè conversio aquæ in vinum, per quam Chri-

(1) *Halden*, p. 2. tit. 1. §. Hæc est Vigilia. *Guyetus*, lib. 4. cap. 6. q. 5. et alii plures.

(2) Circa hoc videri potest *Joannes Molanus*, lib. 5. de sacrarum imaginum historia, cap. 5., et *Benedictus XIV.* de festis, part. 1. n. 52, 54. et sequentibus.

stus testatus est suam divinitatem in Cana Galileæ nuptiis præsens : tandem adoratio magorum, quibus stella novæ claritatis Christi Nativitatem manifestavit : undè hæc celebris antiphona officii Epiphaniæ : *Tribus miraculis ornatum sanctum diem colimus : hodie stella magos duxit ad præsepium : hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias : hodie in Jordane Christus à Joanne baptizari voluit.* Incertum tamen est, num hæc mysteria sextâ Januarii evenerint, sed interim Ecclesia simul illa adunat, ut sub una celebritate recolantur.

VIII. Festum Epiphaniæ est in Ecclesia solemnissimum : quippè est unum ex illis quæ in canone missæ vocantur *sacratissima* et *sacrosancta* : habetque ritum primæ classis cum octava privilegiata, quæ respuit quodvis officium translatum, festa semiduplicia occurrentia, pariter et duplicia, quæ non sunt primæ classis ; imò dies octava excludit officium quantumvis solemne, v. g. patroni et dedicationis. Quando autem infra octavam sit officium primæ classis, ubique fieri debet commemoratio octavæ.

IX. In die Epiphaniæ, omissis versu *Domine, labia mea aperies*, et sequentibus, psalmo *venite* et hymno, matutinum incipit per antiphonam psalmi primi ; in hoc autem non est quærendum aliquod mysterium ; sic enim antiquitus officium semper incipiebat ; adeoque præcisè in officio hodierno forma antiqua retinetur ; verùm infra octavam, hæc omnia more solito præmittuntur.

Quæres 1.º quid dicendum de rege fabæ ? Hæc die in multis locis sors mittitur cum faba vel alio signo, et is in quem sors cadit, rex derisorie agnoscitur ; eique honores ridiculi tribuun-

tur. Hanc cæremoniam discutiens *Grancolas* (1) vehementer in eam insurgit, eamque condemnat tanquam solemnitati præsentis diei et gravitati christianorum omninò repugnantem, et sapientem spiritum Paganismi à quo fideles hanc recreationis speciem sumpserunt: additque superstitiosum esse in scenam adducere Deum et beatam Virginem, ipsis in divisione sortium partem dando, ac si sors ceciderit in unum ex illis, prorsùs impium esse substituere pauperem deridendum aut imbecillum, qui Deum vel Matrem ejus in illa imaginaria dignitate repræsentet. Hæc profectò dedecent nomen christiani, ut patet attendenti: undè mirum videri debet hanc praxim, aliundè plenam stultiloquiis, clamoribus, et non rarò excessibus in cibo et potu, locum invenire, non solum in familiis timoratorum, sed et in sacris cœnobiatarum et monialium ædibus, et nonnullos eò dementiæ devenire, ut hanc cæremoniam observantes, putent se obsequium præstare Deo, et actum religionis exercere.

Quæres 2.º quid dicendum de usu nonnullarum ecclesiarum, quæ causâ horum evangelii verborum: *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*, inverso itinere agunt processiones? Circa hoc silent rubricæ; adeoque ubi talis usus non est introductus, non est inducendus; ubi autem viget, cùm nullo Ecclesiæ decreto reprobetur, nec aliquid mali contineat, tolerari posse videtur.

(1) De vigilia Epiphaniæ.

ARTICULUS IV.

De festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

I. Hoc festum duo complectitur objecta, nempe præsentationem Christi in templo, de qua scriptum est in libro Levit. cap. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israël.* Et purificationem B. M. V. de qua ibidem cap. 12. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum... sumet duas turtures, aut duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato, orbitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur.* Et quamvis his legibus nec Christus, nec Mater ejus subjicerentur: quippè Christus nascendo vulvam Virginis non aperuerat; nec Mater illius ad generationem semen susceperat: tamen beatissima Virgo humilitate potius quàm legis necessitate illam adimplevit, seque cæteris puerperis conformavit.

II. Festum purificationis celebratur secundâ Februarii, quocum si occurrat dominica privilegiata, v. g. septuagesimæ, fit officium de dominica, festumque purificationis transfertur quoad solum officium in diem immediatè sequentem, quocumque festo etiam æqualis ritus impeditam, non tamen altioris (1). Ubi autem purificatio est ecclesiæ titulus, fit illius officium cum commemoratione dominicæ illius, nonâ lectione, et evangelio in fine missæ. Interim dum transfertur officium purificationis ratione occurrentis dominicæ, in ipso die dominico post aquæ benedictionem

(1) S. R. C. 20 Julii 1748.

et aspersionem, fit cereorum benedictio et processio ut infra mox dicetur, ac deindè cantatur, missa dominicæ in paramentis violaceis, sed infraquam, neque ad evangelium, neque ad elevationem cerei accenduntur (1). Idem dic, si eodem die forsan fierent officium et missa de patrono ecclesiæ, quia cerei accenduntur in honorem B. V.; adeoque dum alia missa dicitur quàm de purificatione, non sunt accendendi (2).

III. De ritibus benedictionis cereorum jam dici debet: in his autem varia sunt notanda, quæ sunt communia benedictioni cinerum et palmarum, et quæ ultrà non referemus brevitatis causâ.

Imprimis ante benedictionem apponi debet ad altare antependium coloris violacei, quod tollitur factâ processione, si tamen missa sit cantanda de purificatione aut de Sancto, v. g. patrono.

Finitâ Tertia, ubi cantatur, sacerdos indutus amictu, albâ, cingulo, stolâ et pluviali, procedit capite tectus ad altare in medio ministrorum, id est habens à dextris diaconum, et à sinistris subdiaconum manu proximiori (alterâ corpori admotâ) elevantes hinc et inde fimbrias anteriores pluvialis. Si desit pluviale, celebrans vadit ad altare in albis cum stola, sed absque manipulo, et sine casula: in hoc autem casu incedit ad altare sub linea recta, id est, sequens diaconum. Quoad paramenta

(1) Ex cærem, episc. lib. 2. cap. 16. §. 17. cujus dispositionem sequuntur *Gavantus*, *Halden*, *Turrinus*, *Merati* et alii plures.

(2) *Pisart*, p. 5. tit. 5. n. 4. de fest. purif. B. V. M.

ministrorum, in majoribus ecclesiis subdiaconus super albam induit planetam plicatam et insuper diaconus stolam; adeoque ambo sine manipulo ministrant. In ecclesiis verò minoribus, ut suprà ministri induuntur, sed absque planeta, cujus loco dalmaticam assumere non possunt. Procedunt autem ad altare ad normam celebrantis capite tecto. Cùm ad gradus altaris pervenerint, exhibent cruci vel tabernaculo debitam reverentiam; ascendunt ad altare, et flectentibus ministris, illud in medio osculatur celebrans, deindè se sistunt in cornu epistolæ, ubi celebrans stantibus ministris à dextris et sinistris ipsius, vel uti ad introitum missæ, non se vertens ad populum, cantat in tono feriali *Dominus vobiscum*, deindè *oremus* inclinando caput ad crucem, sed absque manuum disjunctione; pergitque manibus junctis eodem tono cantare orationem.

Nota hìc ex missali semel pro semper, benedictiones omnes esse perficiendas manibus junctis, et sub signationibus cereorum, aut rei alterius extra altare existentis, manum sinistram celebrantis esse corpori ipsius applicandam, ac diaconi esse sub signationibus elevare partem lateralem pluvialis.

Finitis orationibus, sacerdos, ministrante diacono, thus imponit et benedicit more solito dicens: *ab illo benedicaris*, etc.: post thuris benedictionem recipit è manu diaconi aspersorium, è quo aquam benedictam ter immittit in cereos, et quidem primò in medium eorum, secundò in eosdem versùs sui sinistram, et tertio versùs sui dextram, interim dicens voce

intelligibili hanc antiphonam : *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealabor.* Deindè eodem modo, id est, in medio, à dextris et à sinistris eosdem thurificat.

Antequam ulteriùs progrediatur, notet diaconus, quòd aliquid tradens celebranti, priùs osculari debeat instrumentum seu rem tradendam, et deindè manum illius; recipiens verò aliquid, priùs manum et deindè instrumentum osculetur (1).

Incensatis cereis, celebrans accedit ad medium altaris, ubi flectentibus ministris ad suì latera, caput cruci inclinat, moxque vertit faciem ad populum, ac ita se constituit in suppedaneo, ut sit locus accepturis candelas flectendi super illius extremitate; stantque ministri ad ipsius latera versi pariter ad populum, diaconus à sinistris et subdiaconus à dextris; hic elevat pluviale, ille verò cereos tradit celebranti. Interea accedit dignior è Clero, qui factà coram tabernaculo genuflexione, et inclinatione celebranti, ascendit coram eo, cui offert, prævio illius osculo, candelam sibi à diacono porrectam : non osculatur tamen manum celebrantis. Omninò est indifferens, an candelam, dum offertur sub tota distributione, sit accensa, necne; proindèque in hoc praxis cujusque loci servari potest (2).

(1) Cùm aliquid ab eis (*episcopo vel celebrante*) recipitur, toties osculanda est res, quæ offertur, ac deindè manus recipientis, et cùm ab eisdem aliquid recipimus, primò manus, deindè res, quæ recipitur. Cærem. episc. lib. 1. cap. 18. in fine.

(2) Cærem. episc. lib. 2. cap. 16. n. 15.

Celebrans, ut candelam suam recepit, eam tradit acolytho deponendam vel custodiendam ad finem usque distributionis : tum diaconus aliam ei præsentat, quam tradit ei, à quo suam recepit. Accedunt postea diaconus et subdiaconus, ac successivè alii, clerici primò, deindè alii, servando uniuscujusque gradum et dignitatem.

Hæc servanda sunt in receptione candelarum. Tendens ad celebrantem, flectit uno genu coram tabernaculo ante gradus altaris, et erectus, caput inclinât celebranti; ascendit deindè, et flectit duobus genibus in suppedaneo coram celebrante, osculatisque primò manu illius, et deindè candelâ (1), tollit eam, moxque descendit, ac factâ genuflexione extra gradus, salutât inclinatione capitis celebrantem, qui neminem resalutat, sicque redit ad locum. Ut autem hæc decenter fiant, accepturi cereos cavere debent ab omni festinatione, hæc enim omnia turbaret.

(1) Dignior è clero, à quo celebrans, in die purificationis, cinerum et palmarum recipit candelam, cineres et palmam, debet accedere ad altare sine stola, et genuflexus sicut alii recipere candelam, cineres et palmam à celebrante et osculari manum celebrantis porrigentis candelam et palmam. S. R. C. 14. Feb. 1705. Huic decreto videtur adversari aliud sub data 30. Aug. 1664, in quo habetur quòd sacerdos dignior stans, et non genuflexus præfata recipiat, sed contradictio tollitur, intelligendo de diversis, quæ continentur in illis decretis; in primo enim agitur de clericis inferioribus, quorum dignior flectere debet. In secundo autem de canonicis ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, qui ad id non teneri declarantur; ita *Spiridion Talu* scribens in decreta, de quibus suprâ : et passim alii.

Eodem modo, ac in eodem loco magistratus, nobiles, et personæ qualificatæ cereos recipiunt, sed aliis, et præsertim mulieribus (1) distribuendi sunt ex decencia saltem ad cancellos presbyterii; nec à mulieribus tolerandum est osculum manûs, sed tantùm candelæ. Factâ ergò distributione personis suprâ memoratis in altari, descendit celebrans ad cancellos, vel si esset magna nimis populi frequentia, hanc distributionem committere poterit sacerdoti induto superpelliceo, et stolâ violacei coloris.

Cùm celebrans incipit cereos distribuere, cantatur antiphona *lumen ad revelationem*, etc., ut in graduâli: expletâ cereorum distributione, et non priùs, cantatur *exurge, Domine*, etc., interim celebrans lavat manus in cornu epistolæ, ad quod non descendit è suppedaneo. Si distributionem compleverit ad cancellos, eas lavat in plano capellæ juxta idem cornu epistolæ. Infra hanc lationem ministri hinc et indè elevant pluviale. Sacerdos deindè constitutus ante librum, propè stantibus ministris, voce mediâ legit *exurge*, subditque manibus junctis, ut antè; *oremus* et orationem in tono feriali.

Si purificatio B. V. venerit post septuagesimam, et non in die dominico, dum recitat celebrans antiphonam *exurge*, ministri se sistunt retrò post illum, et ut cantatum est *oremus*, diaconus protractè canit *flectamus genua*, intereaque prior flectit duobus genibus, deindè flectit similiter utroque genu subdiaconus, ac cantato *levate*, prior surgit, proindèque diaconus per modicum tem-

(1) Cær. episc. loco suprâ cit. n. 10.

poris spatium genuflexus permanet. Identidem omnes in ecclesia adstantes genua curvant ad terram : solus eximitur à genuflexione celebrans, quando adsunt ministri ; aliàs si solus celebraret, cantans vel dicens *flectamus genua*, flecteret uno genu, et dicto *levate* à cantoribus vel ministro, mox surgeret ad proseguendam orationem.

His peractis, celebrans redit ad medium altaris, ubi flectentibus ministris, caput cruci inclinatur : ac deindè diacono ministrante, thus imponitur, et more solito benedicit. Tum diaconus sub debitis osculis offert celebranti cereum accensum, recipit deindè suum, ac renovatâ genuflexione descendit retrò post celebrantem, ubi facie versâ ad populum, cantat *procedamus in pace*, moxque se ad altare convertit absque nova genuflexione. Subdiaconus benedictionis seu actualiter serviens, ut dictum est *procedamus in pace*, flectit, descendit, accipit crucem processionalem, et medius inter acolythos cereos ferentes procedit, eum præcedente thuriferario (1), sequuntur alii bini et bini cum ceriis accensis, et post hos cantores, qui ea quæ in processionali assignantur, cantu persolvunt. Interim celebrans descendit ex altari, et factâ in infimo

(1) *Merati*, p. 4. tit. 7. de passione n. 23. ait effigiem crucifixi esse vertendam ad thuriferarium, et plures alii idem tenent. Sed in favorem hujus sententiæ nihil in rubricis, nec in decretis S. C., solùm legitur in cær. epis. effigiem Christi esse vertendam ad archiepiscopum sequentem, quâ auctoritate ducti, diximus in praxi celebrandi missam, id esse observandum in omni processione, unusquisque eligat, vel sequatur usum suæ ecclesiæ donec aliquid certi statuatur à S. R. C.

gradu coram tabernaculo vel cruce debitâ reverentiâ, recipit à diacono birretum cum ordinario ritu, id est quasi cum osculo ex parte diaconi, seu cum capitis demissione; capite autem tecti sequuntur cantores, et diaconus infra processionem tenet sinistram celebrantis. Tandem retrò post celebrantem incedunt viri et mulieres. Infra processionem cereos ferentes tenent manum sinistram corpori applicatam, et candelam dexterâ, extimâ seu extensâ.

Quando processio transit per ecclesiam, si in aliquo altari elevetur Sacramentum, campanula non est pulsanda; aliàs actualiter transeuntes coram SS. Sacramento flectere tenentur (1). Post reditum in ecclesiam, stant omnes, et cantores similiter stantes incipiunt responsorium *obtulerunt*, quo absoluto, cerei extinguuntur, moxque celebrans et ministri, exhibitâ coram altari reverentiâ, eunt ad sacristiam assumpturi vestes albas ad missam celebrandam.

Circa missam hujus diei nihil venit observandum, nisi ratione cereorum. Omnes igitur in choro et ecclesia sub cantu evangelii, et à consecratione inclusivè usque ad communionem pariter inclusivè, tenent manu dexterâ, ut supe-

(1) In processionibus candelarum, palmarum et similium, quæ fiunt per ecclesias sine SS. Sacramento non est pulsanda campanula ad elevationem hostiæ in missa privata. Quòd si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu à transeuntibus ante altare, ubi missa celebratur, et deposito SS. Sacramento procedendum. Similiter si alii transeant in elevatione calicis. S. R. C. 1. Martii. 1681. *Undè ne nimis interrumpatur processio, non est flectendum infra duas consecrationes saltem respectu eorumdem.*

rius dictum est, candelas accensas, genuflexi sub utraque consecratione, stantes verò reliquo tempore. Idem quoque videtur practicandum, si cum SS. Sacramento detur benedictio post missam. In missa solemni cum ministris, solus sacerdos sub cantu evangelii candulam præ manu tenet, eamque accipit post benedictionem diaconi, ac eam dimittit ante osculum libri: hinc diaconus et subdiaconus non tangunt cereos toto tempore missæ (1), nec etiam celebrans dum cantat missam sine ministris. Abusus est ergò deferre candelas benedictas eundo ad altare, et ab eo recedendo post missam.

Quæres 1.º qua de causa hodie cerei ardent ferantur? Hujus ratio, quæ tota spiritualis est, ut capiatur, prænotandum lumen frequenter in evangelio Christum significare; de quo etiam canitur infra cereorum distributionem *lumen ad revelationem gentium*. Hoc posito, facilis est applicatio. Fideles enim hodie cereos gestantes, Christum præ manibus ferre censentur: undè Rupertus, *portamus*, inquit, *hæc die candelas accensas, ut cum Simeone gestemus Christum velut in ulnis*.

Quæres 2.º completâ hujus diei cæremoniâ, cui usui candelæ benedictæ servire possint? Praxis Christiana docet esse reservandas in usum morientium, in quorum manibus, dum fert ratio temporis, ponitur candela benedicta et ardens; tum in protestationem fidei in Christum, à quo

(1) *Bissus*, lit. m. n. 248. §. 1. *Halden*, p. 2. tit. 2. de fest. Feb. quos citat et sequitur *Merati*, p. 4. tit. 14. de Bened. Cand. n. 20.

solo morientes salvari possunt : tum in reparationem pro injuriis divinæ majestati illatis ; hinc maximè convenit , ut in familiis Christianis semper aliquis cereus servetur in casu mortis alicujus ; hincque meretur notari cereum benedictum non perdere suam benedictionem , nisi consumatur ; ita ut non sit necesse quotannis de novo sibi providere. Insuper praxis fidelium habet , ut candelæ accendantur , et palmæ benedictæ comburantur tempore tempestatis , praxis verè religiosa ; modò ab ea omnis superstitio et vana observantia removeantur. Interim convertere candelas benedictas in usus profanos , modò honestos , licitum esse docet praxis etiam timoratorum (1).

Quæres 3.^o de origine hujus festi ? *Baronius* (2) illius institutionem refert ad sæculum V , nempè sub *Gelasio* I , qui , juxta citatum auctorem , ad tollendos lusus nefarios ab *Evandro* inventos , in quibus nudi homines urbem cursitabant , caprinis pellibus feminarum ventrem verberantes , quod id ad earum fœcunditatem , facilitatemque pariendi multùm conferre existimabant. Huic sententiæ multi adhærent , inter quos *Tomassinus* , *Baillet* , *Devert* , etc. : verùm nonnulli auctores eruditi , vetustius *Gelasio* I hoc festum asserunt et probant ; *Beda* quippè , *Cassiodorus* et *Walafridus* adducunt martyrologium

(1) Ita etiam *Tamburinus* de sacrif. missæ , lib. 1. §. 5. n. 5. Hæc ratione , quòd benedictio cereorum , sicut cinerum et palmarum non sit introducta cum tanto rigore ab Ecclesia ad solum usum sacrum.

(2) In notis ad martyrologium sub die 2. Feb.

ecclesiæ occidentalis, quod *S. Hieronymo* tribuunt, et in quo legitur: *purificatio S. Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi*. Hæc super re etiam videri potest *Henschenius Bollandi* continuator, qui (1) ostendit ante tempora *Gelasii* purificationis festivitatem viguisse in Phœnicia, Syria, Cypro et apud Coptos, illiusque institutionem ad tempus non ita ab Apostolorum ætate remotum reduci posse tenet.

ARTICULUS V.

De dominicis à septuagesima usque ad feriam quartam cinerum.

I. HÆC dominica dicitur septuagesima, non à numero dierum, quæ fluunt ab illa usque ad Pascha, cum septuaginta non inveniantur: sed sic denominatur quòd sit Dominica infra septuagesimum diem ante Pascha: idemque dicendum de sexagesima et quinquagesima (2).

II. Ab altera septuagesimæ orientalis ecclesia exorditur jejunium quadragesimale; eò quòd Græci non jejunent dominicis, feriis quintis et sabbatis (3): undè Græcorum solemne jejunium triginta sex tantum diebus constare debet, nisi fortè aliundè suppleant quatuor dies. Ii verò qui solis dominicis et sabbatis non jejunabant, alterà sexagesimæ; qui autem jejunabant omni die præter dominicas, feriam quintam in cœna Domini, et sabbatum sanctum, feriã secundã

(1) Ad diem 2. Feb.

(2) Burius in onomast.

(3) *Ratramnus*, lib. 4. contra Græcos. cap. 4.

post quinquagesimam jejunare incipiebant (1), et inde evecta est ab ecclesia Græca in Latinam observatio septuagesimæ et duarum dominicarum sequentium, non quidem quoad abstinentiam, sed quoad officium; idque ut saltem esset quædam uniformitas inter utramque ecclesiam, seu ne Latina in officio exultaret tempore, quo Græca se jejunio macerabat: hinc ex officio sublata sunt omnia signa lætitiæ; duplicato enim *Alleluia* post *benedicamus Domino* et *Deo gratias* in vespere sabbati ante septuagesimam ad memoriæ commendandum deinceps hoc verbum non esse ampliùs ad Pascha usque proferendum, ei substituitur in principio Horarum *laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ*, quæ eundem sensum præ se ferunt ac *Alleluia*, quod latinè rediditur *laudate Deum*, sed non eandem lætitiæ affectionem: vox quippè *Alleluia* dum profertur, et maximè in cantu, jubulum et exultationem in mente procreat, quod meliùs sentitur, quàm possit verbis exprimi, sabbato sancto, quando lectâ epistolâ celebrans solemniter illud intonat (2). Insuper in officio de tempore, post matutinum non dicitur *te Deum*, nec in missa *Gloria in excelsis*, quia hymni sunt lætitiæ. Hoc etiam tempore legitur liber Genesis, ubi lapsus Adæ, et illius punitio referuntur, ut homo hæres iniquitatis illius et miseræ sese humiliet, et sinceris pœnitentiæ lacrymis Deum placando incumbat.

(1) *Grancolas*, tom. II. de dom. septuag.

(2) *Alleluia* significat Christum, sine quo nunc repræsentatur genus humanum, ob peccatum Adæ, de quo fit mentio principalis in septuagesima. Gavant, ex Ruperto lib. 4. cap. 5.

III. Infra tempus septuagesimæ, in missis de tempore et semiduplicium, oratio secunda est à *cunctis*, et tertia ad libitum; si verò septuagesima inciderit ante purificationem, vel etiam in diem purificationis, secunda erit, *Deus qui salutis æternæ*, et tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa (1). Cùm autem secretâ septuagesimæ sit eadem ac de Beata, juxta rubricas generales mutari debet secreta de Beata, et assumi alia ex missa ejusdem votiva post purificationem, scilicet, *tuâ, Domine, propitiatione*.

IV. Quamvis in collecta sexagesimæ fiat mentio sancti *Pauli*, sub nomine doctoris gentium, nihilominus nomen ejusdem est exprimendum in oratione à *cunctis*: ratio hujus est, quòd apostolus locum inveniat in oratione diei occasione stationis, quæ habetur Romæ in ecclesia ipsi dicata; non autem ratione festi, vel missæ votivæ; aut specialis commemorationis; proindèque non est casus rubricæ prohibentis, ne de eodem bis fiat commemoratio in eadem missa. Simile quid accidit feriâ quintâ dominicæ tertiæ quadragesimæ; in collecta enim diei fit mentio *SS. Cosmæ et Damiani*, occasione stationis; adeòque ubi sunt patroni, eorum nomina non sunt reticenda in oratione à *cunctis*. Hic etiam adverti potest caput non esse inclinandum, dum prædicta nomina proferruntur, sive in collecta diei, sive in oratione à *cunctis*, aut alibi.

V. A septuagesima usque ad feriam quartam cinerum, tractus adjungitur graduali dominicis diebus, sicut et in omnibus missis festivis et vò-

(1) Rub. miss. sub dominica septuag.

tivis, infra hebdomadam autem, dum resumitur missa dominicæ præcedentis, solùm dicitur graduale sine tractu.

VI. Dominica septuagesimæ et duæ sequentes sunt privilegiatæ contra festa duplicia, etiam secundæ classis: ita ut si aliquod hujusmodi officium occurrat in aliqua ex præfatis dominicis, fiat de dominica, et duplex transferatur ad primum diem non impeditum festo duplici vel semiduplici. Solùm ergò admittunt officium primæ classis, in quo legitur Homilia dominicæ, et fit illius commemoratio ubique (1).

ARTICULUS VI.

De feria quarta cinerum.

I. HÆC feria nomen mutuat à cineribus, quibus hâc die capita fidelium consperguntur. Omni autem tempore cineres fuerunt signum luctûs et pœnitentiæ: undè *Job* (2) legitur pœnitentiam in cinere et favilla egisse, *Judith* quoque (3), et *Esther* (4), et inter exempla plurima, quæ adferre possunt è veteri Testamento, famosum est valdè illud regis Ninives et subditorum ejus, quando ad prædicationem *Jonæ* (5) pœnitentiam simul egerunt in jejunio, sacco et cinere. Pariter ab Ecclesiæ nostræ incunabulis pec-

(1) Rub. gen. brev. tit. 4. de dom. n. 1. et tit. 10. de transl. fest. n. 1.

(2) Lib. *Job* cap. ultimo.

(3) Lib. *Judith* cap. 8.

(4) Lib. *Esther* cap. 4.

(5) *Jonæ* prophetæ cap. 3.

catores ad agendam in cinere pœnitentiam coacti sunt : *Tertullianus* quippè ætati apostolorum vicinus exhibet nobis peccatorem pœnitentem pulvere conspersum , his verbis (1) , *horrore cineris concineratum prosternis in medium* : et *S. Ambrosius* (2) puellam inducens in pœnitentiam , jubet eam coöperiri veste lugubri , cilicio et cinere. Sicque in Ecclesia usus cinerum invaluit , ut multæ personæ optaverint mori stratæ in cineribus , inter quas numerantur *S. Martinus* , *Ludovicus VI Galliarum rex* (3) et *S. Ludovicus* (4) nominis IX ; hæcque pia praxis adeò communis facta fuit , ut in ritualibus inserta fuerit benedictio cinerum in gratiam agonizantium , quorum frons et pectus iis signabantur contra impetus dæmonis , et inter quos nonnulli in cineres deponebantur , ut in illis jacentes expirarent , uti patet exemplis suprâ relatis , et aliis multis , de quibus in historiis ecclesiasticis : porrò usus benedicendi cineres ad hunc effectum durasse videtur saltem in aliquibus ecclesiis , usque in sæculum XVII ; nam formam hujus benedictionis habet rituale ecclesiæ Constantiensis (*Coutances*) in Normandia impressum , an. 1609.

II. At redeundo ad feriam IV cinerum ; sic hujus diei ceremoniam describit sub sæculo IX *Reginon* (5) : in capite jejunii omnes pœnitentes ante fores ecclesiæ se præsentent episcopo , sacco induti , nudis pedibus , ubi adesse debent deca-

(1) De pœnitentia.

(2) Ad Virg. laps. 8. lib. 6.

(3) *Sugerius* in ipsius vita.

(4) *Petrus Cluniacensis* in ipsius vita.

(5) Pag. 155.

ni cum presbyteris, seu pastoribus de illorum vita et moribus propiùs informatis. His primò peccatoribus ante januam ecclesiæ consistentibus congrua imponitur pœnitentia; deindè in ecclesiam introducuntur, ubi clerici in pavementum prostrati septem psalmos pœnitentiæ persolvunt; tum ipsis manus imponuntur, aquâ lustrali perfunduntur, et cinere et cilicio coöperiuntur. Postea è templo ejiciuntur, uti olim *Adam* ejectus fuit è paradiso, clero cantante responsorium: *in sudore vultus tui vesceris*, etc. Porrò paulatim personæ moribus insignes cum publicè pœnitentibus sacros cineres sibi etiam imponi fecerunt, quod postea tot imitati sunt, ut sæculis XII et XIII, juxta *Martene* et *Grancolas*, in communem usum abierit: hæc autem cinerum cæremonia primitùs solis publicè pœnitentibus reservata, congruè fuit ad omnes extensa, quia omnes sunt peccatores, et consequenter pœnitentiâ indigent; aliundè cineres non tantùm sunt symbolum pœnitentiæ, sed et mortis, cujus lege justis et peccatores similiter adstringuntur, et cujus memoria utiliter ad mentes omnium hâc die revocatur.

III. Tanti Ecclesia hanc feriam appetiat, ut ei vim dederit excludendi quodvis officium in ea occurrens, etiam primæ classis, ut patet ex rubricis tum missalis, tum breviarii. Imò nullam admittit officii commemorationem: hinc qui virtute privilegii infra quadragesimam octavas celebrant, in casu occurrence hujus feriæ, cum aliqua die infra octavam, vel etiam cum ipsa die octava, commemoratio octavæ est omittenda in laudibus et missa (1), precesque sunt recitandæ in

(1) Qui habent privilegium celebrandi octavas in quadra-

officio feriali, quasi non occurreret in octava (1). Præterea hâc die prohibentur missæ votivæ et de *requiem* (2), et ubi sunt preces 40 horarum, satisfit cantando solùm missam feriæ (3) cum commemoratione missæ votivæ, et de Venerabili sub una conclusione. Hic supponitur missam cantari in altari ubi habetur expositio; aliàs collecta de dicto Venerabili foret omittenda.

IV. Pro conficiendis cineribus, ex præscripto rubricæ, assumendi sunt rami olivarum, buxorum, aut aliarum arborum benedicti anno præcedente in die palmarum, et per ignem reducendi sunt in cineres; succreti autem cribro hi cineres deponuntur in aliquod vas, quod in cornu epistolæ supra altare locatur.

V. Finitâ Nonâ, ubi cantatur, et alibi horâ competenti, sacerdos et ministri procedunt ad altare induti, ut antè dictum est de benedictione cereorum art. IV. n. III., seque gerunt, infra cinerum benedictionem, uti ibidem habetur; hoc solum excipi debet, nempe quòd celebrans signando cineres manum sinistram debeat in altare deponere, quia illud quod signatur est super ipso altari.

Finita oratione: *omnipotens sempiternæ Deus, qui Ninivitis*, etc., celebrans imponit thus, quod be-

gesima, occurrente die infra octavam in feriâ quarta cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava, neque in laudibus, neque in missa. S. R. C. 24. Jan. 1682.

(1) In officio feriæ quartæ cinerum relinquendo commemorationem octavæ, debent privilegiati dicere preces, psalmos graduales, etc. et observare omninò rubricas dictæ feriæ quartæ cinerum. S. R. C. 24. Jan. 1682.

(2) Ita rubricæ, et decretum. S. R. C. sub data 28. Aug. 1627.

(3) Ex decreto Clem. XI. 28. Jan. 1705.

medicit dicens: *ab illo benedicaris in cuius honore cremaberis. Amen.* Deindè aspergit cineres aquâ benedictâ ter, nempè in medio, tum circa suâ sinistram, et tandem circa suâ dexteram. Caveat hic sacerdos, ne nimiâ aspersione convertat cineres in lutum; non enim hoc, sed cineribus fideles sunt conspergendi.

Antequam ulteriùs progrediatur, dicendum est de modo imponendi cineres; et stando verbis rubricæ, videtur quòd imponens cineres, eos accipere debeat inter pollicem et indicem manûs dexteræ, et spargere super capillos uniuscujusque juxta verticem capitis, idque in modum crucis: respectu autem mulierum spargendi sunt, non in velum capitis, sed in capillos, qui apparent juxta frontis extremitatem. Verùm usus invaluit in his partibus ut respectu clericorum spargantur intrâ eorum tonsuram; respectu verò aliorum utriusque sexûs, ut crux formetur in eorum fronte, ut mox dicetur.

His positis, ut celebrans thurificavit cineres, redit ad medium altaris, ubi flectentibus hinc et indè ministris, caput cruci inclinatur; tum se vertit ad populum, pariterque ministri, stantque in suppedaneo altaris, diaconus à dextris celebrantis tenens vas cum cineribus et subdiaconus à sinistris; si tamen celebrans sit indutus pluviali, et opus sit illud elevare ad majorem brachii ipsius libertatem, ire debet subdiaconus ad dexteram prope diaconum, et hoc illi præstare obsequium. Interim dum celebrans à cornu epistolæ redit ad medium altaris, accedit sacerdos dignior è choro (in accessu et recessu ab altari, servat ea quæ diximus art. IV. n. III.); constitutus autem,

ac stans et non genuflexus coram celebrante inclinato; accipit cineres inter pollicem et indicem dexteræ, eosque spargit intrâ tonsuram celebrantis in modum crucis, cujus primam lineam ducit à parte inferiore tonsuræ versùs superiorem; secundam verò à latere dextro ipsius celebrantis in sinistrum, ac interea dicit voce intelligibili: *memento, homo*, etc.; tum flexus duobus genibus in suppedaneo altaris, capite inclinato (si sit Canonicus, vel in dignitate constitutus, se tantùm inclinat absque genuflexione) (1), eodem modo à celebrante cineres recipit.

Si non adsit in choro sacerdos, uti sat frequenter accidit in ecclesiis minoribus, tunc celebrans flexus duobus genibus intrâ altaris suppedaneum, et ad crucem conversus, cineres in modum crucis sibimet imponit nihil dicens: nec pati potest ut sibi imponantur à diacono ministrante, licèt sacerdote, quia in actuali functione ipsi est inferior (2).

Celebrans, receptis ut suprâ cineribus, stans capite discoöperto, et facie versâ ad populum in medio suppedanei altaris primò ministranti diacono, nisi fortè adessent dignitates, et deindè subdiacono, aliisque successivè de clero cineres imponit, spargens eos intrâ tonsuram, ut antè dictum est, et interim dicens voce intelligibili ad unumquemque: *memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem revertéris*; notetque hìc penul-

(1) S. R. C. 14. Feb. 1705. et 50. Aug. 1664. Hæc decreta sunt citata art. 4. præc. n. 5.

(2) *Merati*, p. 4. tit. 6. de feria 4. cinerum, n. 14. cui accedunt *Gavantus*, *Bissus*, *Bauldry*, et alii.

timam syllabam ultimi verbi esse longam ; adeoque in pronunciatione producendam.

Distributis in altari cineribus clericis et etiam personis illustribus , celebrans descendit ad cancellos , ibique eosdem imponit laïcis , primò viris , et deindè mulieribus. Ubi fronti imponuntur , celebrans solo pollice tincto cineribus , facit signum crucis , ducens primam lineam à parte superiore frontis versùs illius inferiorem , et alteram à parte dextra ejusdem frontis in sinistram.

VI. Peractâ hâc cæremoniâ , celebrans in plano capellæ juxta cornu epistolæ , manus lavat cum micis ex pane vel furfure , ministrantibus acolytho aquam , et ministris manutergium. Ascendit deindè ad altare per gradus laterales , ac constitutus ante librum cantat , stantibus retrò ministris , *Dominus vobiscum* et orationem , ut in missali. Hâc absolutâ , descendit per suam dextram in planum capellæ , et ibi se induit manipulo et casulâ , quòd si malit illa assumere in sacristia , redire debet celebrans ad medium altaris ubi exhibitâ cruci reverentiâ , descendit per medium , et deindè extra gradus , coram tabernaculo vel cruce aliam reverentiam facit cum ministris ad latera ipsius constitutis.

VII. Ex his colliges cineres esse imponendos ante missam ; adeoque quamdam inordinationem intervenire , dum eorundem impositio differtur usque ad offertorium missæ sollemnis.

VIII. Missa hujus diei solemniter celebratur in paramentis violaceis , et per eundem sacerdotem , qui cineres benedixit , prout clarè insinuat S. R. C. (1) ; ac ratio est , quia horum benedictio

(1) Absente episcopo , benedictiones candelarum , cinerum ,

quodam modo intrat in substantiam missæ; proindeque sine optima ratione hæc non sunt præstanda à diversis.

Post epistolam sub versu *adjuva nos, Deus*, depositis in altare manibus, celebrans cum diacono flectit uno genu. Dum verò, lecto priùs evangelio, idem versus cantatur, duobus genibus celebrans flectit in superiori gradu altaris, seu in medio suppedanei, hinc et indè pariter flectentibus ministris. Chorus ergò debet ita cantum moderari, ut præactum versum non incipiat, nisi celebrans lectionem evangelii absolverit. Ubi missa cantatur sine ministris, celebrans eodem modo flectit antequam cantet evangelium.

Post communionem, hodie et deinceps in omnibus missis ferialibus usque ad feriam quintam in cœna Domini, tribus orationibus diei jungitur sub proprio *oremus*, et propriâ conclusione oratio, quæ vocatur *super populum*: porrò dum celebrans dicit more solito *oremus*, diaconus absque genuflexione per suam dexteram, id est, eodem modo quo celebrans ad cantandum *Dominus vobiscum*, se vertit totaliter ad populum, et manibus junctis, oculis ad terram demissis, ac erectâ cervice cantat, *humiliate capita vestra Deo*. Reversus ad altare per suam sinistram caput inclinat, et pariter et subdiaconus, usque in finem orationis. Clerus verò et populus sub illa manent genuflexi et capite inclinati. Quando adest diaconus serviens, qui populum moneat, celebrans non profert illa verba: *humiliate*, etc., sed

palmarum et fontis fiant per celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627.

si solus celebret, illa cantat capite inclinato, ut supra, et deinde orationem extensis manibus.

IX. Ut jam sciatur quâ occasione hæc oratio fuerit missæ inserta, observandum quòd olim in quadragesima post communionem missæ vesperæ cantarentur, uti hodiedum sabbato sancto; separatis autem vesperis à missa, Ecclesia retinuit in ea vesperarum partem, nempe collectam, quæ semper est eadem, ac in vesperis sequentibus, idque in gratiam eorum, qui frigescente charitate non amplius quotidie sacram percipiebant Eucharistiam, ut saltem hi non recederent ab ecclesia absque bona precatone, seu aliqua benedictione per dictam orationem, quæ ideò dicitur oratio super populum (1).

X. In ecclesiis in quibus missæ privatæ celebrantur cum populi concursu ante solemnem, primo manè celebrans cineres benedicere potest ut satisfiat devotioni fidelium. Ad hanc autem benedictionem faciendam non assumit casulam: omniaque, ut supra, legit sine cantu, et insuper incensatis cineribus, legit ea quæ in choro cantantur sub cinerum distributione, nempe *immuetur habitu*; etc., deinde cineres imponit. Iisdem postea utentur sacerdotes successivè celebrantes usque ad missam solemnem; videturque hi cineres privatim benedicti imponi posse fidelibus ante vel post, aut etiam extra missam. His tamen non est utendum in missa solemni; adeòque residuis in sacrarium missis, novi sunt benedicendi ante missam solemnem.

Quæres 1.^o in quo habitu ministri debeant in-

(1) *Grancolas*, tom. 2. de bened. cinerum.

servire, et deinceps diebus ferialibus quadragesimæ? Rubrica (1) hoc dubium solvit: *in diebus verò, inquit, jejuniorum, et feriis adventus, quadragesimæ... in cathedralibus et præcipuis ecclesiis utuntur planetis plicatis ante pectus... in minoribus autem ecclesiis, prædictis diebus jejuniorum, albâ tantùm amicti ministrent; subdiaconus cum manipulo, diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.* His adjungi debent ex eadem rubrica dominicæ adventus et quadragesimæ; ratio hujus est, ut officium magis lugubre magisque pœnitentiæ consonum reddatur. Hæc regula sequentes patitur exceptiones: 1.º dalmaticis ministri utuntur dominicâ tertiâ adventus; quia ratione introitus *gaudete* missa hujus diei lætitiâ sapit; pariter infra hanc hebdomadam dalmaticæ assumuntur sub missa feriali ob eandem rationem, quia nempè resumitur missa *gaudete*; non autem in missis quatuor temporum. 2.º In missa dominicæ IV quadragesimæ, quæ incipit *lætare Jerusalem*: non tamen in missis ferialibus per hebdomadam, quia non resumitur missa dominicæ præcedentis. 3.º Exciipiuntur vigiliæ sanctorum, quia sunt principium festi sequentis; vigilia Nativitatis, eò quòd celebretur quadam cum solemnitate; vigilia Pentecostes, et feriæ quatuor temporum infra octavam hujus festi, quia his diebus missa celebratur in paramentis rubri coloris, et feria V. in coena Domini, in qua adhibetur color albus: hæc exceptiones excerptæ sunt è rubrica superius citata. Ex his inferes eos peccare contra

(1) Rub. gen. miss. de qualitate parament. n. 19.

leges ecclesiasticas , qui in omni indifferenter missa utuntur dalmaticis.

Quæres 2.^o quo spiritu unusquisque cineres recipere debeat? Animo contrito quasi cinis, ac humiliato nimis sub duro mortis decreto, quod à celebrante sub hac cæremonia omnibus intimatur; proindèque unusquisque, dum caput cineribus conspergitur sub his verbis *memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem revertèris*, seriò recogitare debet se esse ex luto formatum et brevì in fœtidum pulverem esse convertendum.

ARTICULUS VII.

De jejunio quadragesimali.

I. Hoc jejunium solemne christianorum venerabile est, tum ab antiquitate, tum ab illius auctoribus; originem quippè trahit à Moyse, Elia et Christo Domino; hos enim quadraginta diebus jejunasse litteræ divinæ testantur; indèque Ecclesia tantis illustrata exemplis, idem tempus ad peccatorum purgationem, vitiorumque extirpationem jejunio consecrat.

II. Rigor hujus jejunii usque ad sæculum duodecimum fuit maximus; unica enim in die refectio sumebatur, eaque circa solis occasum; horâ quippè nonâ, id est, tertiâ nostrâ pomeridianâ missa cantabatur, et post missam vespere, post quas solùm licebat jejunium solvere. Id constat ex variis Patrum et auctorum documentis: *Stationes*, inquit *Tertullianus* (1), *ad ve-*

(1) De jejunio, cap. 37.

speram producimus. Solent, ait *Theodulphus-Aurelianus*, qui floruit sæculo IX (1), plerique, qui jejunare putant, mox ut signum audiunt ad nonam, manducare, qui nullatenus jejunare censendi sunt, si antè manducaverint, quàm vespertinum celebretur officium. Idem vigeat tempore *S. Bernardi*, qui floruit sæculo XII, prout colligitur ex his ipsius verbis (2) : hactenus, ait, id est ante quadragesimam, usque ad nonam jejunavimus; nunc, id est in quadragesima, usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi, reges et principes, clerus et populus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper. Tandem sæculo XIII tempus refectionis videtur fuisse acceleratum ad horam nonam, seu tertiam nostram post meridiem; id constat ex testimonio *Alexandri de Ales* tunc viventis; hora, ait, refectionis magis congrua tempore jejunii est hora nona, quàm ad vesperam (3). Interim tunc temporis nihil ultra hanc refectionem sumere licebat juxta illud divi *Thomæ* eodem sæculo XIII viventis: *Ecclesiæ moderatione statutum est ut semel in die à jejunantibus comedatur* (4).

III. Non minor fuit rigor tunc jejunii circa qualitatem ciborum et potus. In quibusdam locis exulabant à mensa non modò carnes, sed et vinum: quadragesima, ait *Augustinus* (5), sine vino et carnibus non superstiosè, sed divinà lege servatur. In nonnullis locis fideles abstine-

(1) Cap. 55.

(2) Sermone 3. in quadrag.

(3) Pag. 4. quæst. 28. num. 7.

(4) 2. 2. q. 147. art. 6.

(5) Lib. 50. contra *Faustum*.

bant à carnibus, ovis, lacte, caseo et butyro, quod et hodie in plerisque observatur diocesisibus. Alibi tandem prohibebatur etiam usus piscium; ita ut panis, legumina et herbæ essent soli cibi quadragesimales, et aqua potus.

IV. Verùm rigor ille vetus jejunii quadragesimalis undequaque vulneratus est, nempe in tempore seu horâ refectionis, in illius unitate et in ciborum qualitate. Primò in tempore refectionis, utpotè quod prævenitur sex circiter horis; cùm enim olim jejunium solveretur ad solis occasum, jam solvitur ad meridiem; hæc autem anticipatio non simul et semel accidit, sed pedetentim in dies charitate frigescente, videturque sæculo IX incepisse, prout patet ex testimonio *Theodulphi*, quem num. II. hujus articuli citavimus; sicque invaluit ut sæculo XIII horâ nonâ jejunium ubique solveretur. Tandem sæculo XIV relectio adducta fuit ad meridiem (1). Certè *S. Carolus Borromæus*, severissimus legum ac disciplinæ cultor, et qui floruit sæculo XVI, servis suis cibum indulgebat in meridie; his verbis: *post meridiem cibum capiant*.

Secundò rigor vetus jejunii læsus est in unitate refectionis; siquidem consuetudine generali cœnulam sumere liceat ad vesperam. Circa illam venit dicendum de quantitate et qualitate ciborum; de his equidem jus silet, quia illam non intro-

(1) Ut constat ex *Durando à S. Portiano*, qui obiit an. 1555 in 4. dist. 15. q. 9. art. 7 idem pro sæc. XV. testatur *S. Anton.* 2. part. tit. 5. de jejun. §. 10. Obiit hic an. 1459.

duxit, sed consuetudo: interim non deest regula ad aliquid hæc super re specificandum, nempe praxis timorum, et doctorum sententia: porrò satis conveniunt de quantitate, nempe quòd excedere non debeat quartam partem refectionis ordinariæ, hæcque est moraliter expendenda, cavendo ne, cum unusquisque sit iudex in propria causa, mentiatur iniquitas sibi. Potus autem moraliter respondeat quantitati ciborum. Res non ita liquet de qualitate ciborum in collatione: ut tamen certa ab incertis separemus, 1.º satis constat sensu timorum ova in propria specie esse prohibita in vespertina cœnula, exstatque lex in hac diœcesi illa interdicens in jejuniis quatuor temporum, et aliis per annum (1); adeòque et à fortiori quidem in quadragesima. Exstat, inquam, talis lex, seu potius declaratio id esse illicitum. Dixi *in propria specie*, quia dum ova aliis sunt permixta et notabiliter alterata, uti in biscocctis aliisque similibus, illa sumere non renuit piorum conscientia.

2.º Aliqua videtur difficultas de piscibus, nùm scilicet in collationem apponi possint? Ast videtur respondendum negativè (2); tota enim antiquitas hanc nescivit indulgentiam, hancque actualiter nesciunt omnes qui leges Ecclesiæ venerantur.

3.º Ex usu communi panis, butyrum, caseus, fructus sive naturales sive saccharo conditi, vinum et cerevisia sunt cibi et potus liciti in collatione vespertina omnibus jejunii diebus.

(1) *Manigart*, novæ editionis tom. 3. p. 289.

(2) *Collet*, tract. de dispens. tom. 3. epist. 28. et cum eo plures alii.

Tertiò tandem rigor jejunii læsus est in qualitate ciborum et potûs : nam olim fideles infra quadragesimam, uti antè dictum est, abstinebant se à vino, lacticiniis, et etiam à piscibus, quibus omnibus jam in variis locis vesci licet; sient et ovis mediante dispensatione, quæ in his Germaniæ partibus ordinariè conceditur. Imò, quod olim penitùs ignorabatur, in casu gravissimæ et omninò extraordinariæ penuriæ ciborum quadragesimalium (hæc enim ratio necessariò supponi debet ad legitimè dispensandum in lege universali Ecclesiæ), in nonnullis diœcesibus indulgetur licentia carnes edendi.

Quæres 1.º undè cœnula in die jejunii originem duxerit, et quare collatio dicatur? Illius origo communiter monachis tribuitur; anticipatâ enim horâ refectionis diebus jejunii, post illam revertebantur ad opus suum; quippè monachi, ut omnes nôrunt, primitùs in sudore vultûs sui vescebantur pane suo; porrò ipsis ab opere reversis et siti compressis, indulta est facultas bibendi infra collationem vespertinam, seu colloquium ecclesiasticum quod in refectorio ante completorium habebatur. Successu autem temporis, ne potus noceret, modicus cibus potui fuit adjunctus; hæcque praxis utpotè concupiscentiæ humanæ arridens facilè è cœnobiis transivit in familias laïcorum ecclesiæ saltem Latinæ: dico *Latinæ*, quia Græci hodiedum unicam in quadragesima refectionem circa solis occasum capiunt (1). Ex his facilè erui potest quare cœnula

(1) Granelas, tom. 2. tit. *Que le jeûne consistait à s'abstenir de chair et de vin, et à ne faire qu'un repas vers le soir.*

vocetur collatio, nempè ob exercitium spirituale sub quo sumebatur, et quod collatio dicebatur.

Quæres 2.º an amphibia licitè edantur in die jejunii? amphibia sunt animalia quæ vivunt in aquis pariter et extra aquas. Quando habent sanguinem frigidum, ad naturam piscium revocantur; proindèque per se iis vesci licet in diebus abstinentiæ. Porrò sanguinem frigidum habent anaticulæ marinæ, gallicè *Macreuses*, cercerides, *Cercelles* vel *Sarcelles*; Gallinæ aquaticæ, *Poules d'eau* et Lutræ, *Loutres*. His adjungi possunt testudines, limaces et locustæ (1). Quibus omnibus licitè utimur diebus jejunii in hac diœcesi, quibusque utuntur Carthusiani, licèt in abstinentia à carnibus rigidissimi; idemque servatur ubique communiter. Interim ubi consuetudo est contraria, ei est parendum.

Quæres 3.º quid dicendum de potu sumpto extra refectionem in die jejunii? Imprimis videtur id non licuisse juxta primitivam Ecclesiæ disciplinam; hujus illustre dedit exemplum sanctus *Fructuosus*; cùm enim ad supplicium duceretur in die jejunii, oblatum sibi potum generosè recusavit dicens: *jejunamus, recuso potum*. Sed consuetudine tempora et mores mutantur: undè juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, certum est aquam sive naturalem, sive herbis vulgò *thé* decoctam, substantiæ jejunii non adversari. Idem dici potest de caffæo, modò non sit lacte vel nimio saccharo

(1) Locustæ eduntur in Palestina: hinc *Matth. 3.* legitur *Joannem Baptistam* vixisse ex illis. In hoc tamen stabat mortificatio præcursoris, quòd illas voraret crudas et impræparatas, cùm ab aliis coctæ sumantur.

perfusum; parùm enim nutrit, ac de se tendit ad ciborum digestionem juvandam (1). De chocolato vix potest moveri dubium; cùm enim sit species pultis maximè nutritivæ, calidæ et consequenter libidinis incentivæ, non videtur quâ conscientia nonnulli animarum moderatores sibi et poenitentibus usum illius diebus jejunii indulgeant.

Superest jam dicendum de potu vini et cerevisiæ. Multi sub umbra hujus principii è sancto *Thoma*, ut putant, deprompti, *liquidum non frangit jejunium* (2), nullam ponunt distinctionem inter dies jejunii, et alios, eodemque modo illis diebus se tradunt potitationi et ebrietati, ac si essent dies bacchanalium. Quòd si corripiantur lege jejunii, nullam aliam adferunt excusationem, quàm hanc pessimam, *liquidum non frangit jejunium*. Dico *pessimam*; nam imprimis dato quòd potus extra refectionem non adversetur fini legis abstinentiæ, adversatur tamen illius effectui, quatenùs ore omnium, et notanter *S. Thomæ*, tollit meritum; non autem modica res est respectu peccatoris Deo denegare debitam pro peccatis satisfactionem, seque privare remedio efficaci ad vitiorum, quibus fortè laborat, extirpationem. Deindè certum est legem temperantiæ strictiùs obligare diebus abstinentiæ, quàm alio tempore, in eamque impingere potitantem extra

(1) Timorati tamen ab illo se abinent.

(2) Fallit hoc principium 1.º Quòd omne liquidum non sit potus, de quo solo loquitur *S. Thomas*.

2.º Potus, juxta *S. Th.*, frangit jejunium si sumatur in fraudem legis.

3.º Frangit etiam in locis ubi viget consuetudo contraria.

prandium dictis diebus ; adeoque si Deum non offendat infractio legis jejunii , saltem offendit violatione legis temperantiæ. Tandem quidquid sit de mente doctoris angelici , de qua lis est inter illius interpretes , multi et graves theologi ab illa sententia recedunt , et sustinent potum nutritivum sine necessitate sumptum , legi abstinentiæ directè adversari ; ita ut res maneat sub dubio , quod junctum præviis rationibus cohibere debet à potu pomeridiano omnes , qui vel minimâ salutis suæ curâ anxiantur , ac præsertim clericos et religiosos , quatenus hi ex officio tenentur aliis intimare legem jejunii , et exemplis suis ad illius observationem eos conducere ; sed eheu ! malum non rarò procedit ab iis quorum est illud impedire.

Quæres 4.º quid faciendo , aliquis exactè replebit legem abstinentiæ , juxta modernam Ecclesiæ disciplinam ? 1.º Refectio non sumatur ante meridiem seu horam duodecimam. Hoc tempus prævenire ad unam tantum horam absque gravi causa , peccatum dicit mortale celebris auctor (1) ; quia sic præveniendo , aliquis se subtrahit à maxima jejunii mortificatione ; multi enim plus fame patiuntur ultimâ horâ , quàm toto tempore prævio. 2.º In refectione à duobus caveatur , nempe à cibis et potibus delicatis , et à nimia repletione : primum repugnat spiritui pœnitentiæ , et secundum legi abstinentiæ vel saltem temperantiæ : adversabitur legi abstinentiæ , si quis

(1) *Natalis Alexander*, lib. 4. de decalogo reg. 15. Hoc damno putat *Billuart* ; *Sylvius* autem habet probabiliter grave peccatum.

se ingurgitet cibo et potu intentione à se avertendi cruciatum famis, vel illam saltem leniendi ad sequens prandium; legi verò temperantiæ, si absque tali intentione ex gula præcisè plus æquo sumat. Hinc diebus jejunii omninò est abstinendum à conviviis, in quibus frequenter limites temperantiæ et sobrietatis frangantur. 3.^o Refectio compleatur intrà duas horas; et profectò tempus illud sufficit ad perfectam et commodam refectionem: undè damnabilis est praxis eorum, qui mensam tenent ad horam tertiam, vel quartam, aut fortè ad vesperam; facilè enim est talibus abstinere à secunda refectione, quam respuit non animus mortificationis, sed corpus nimis cibus gravatum. 4.^o Cœnula sumatur ad vesperam, prout suprà traditum est, quoad quantitatem et qualitatem cibi et potûs. 5.^o Tandem extra tempus refectionis abstinenceatur ab omni potitatione. Quòd si sitis ad bibendum compellat, vel generosè sitis cruciatus sustineatur, vel naturæ præcisè id concedatur, quod exigit ad sui levamen. Hæc servando legem adimplebis, et merita jejunii consequèris. Si autem hanc formam sectando, quoddam sentias incommodum, memento te esse peccatorem, memento necessitatis pœnitentiæ ad ingressum regni cœlorum; memento etiam fervoris quocum patres nostri sustinuerunt rigorem jejunii, in cujus comparatione nostrum nec est umbra, nec meretur jejunii nomen.

ARTICULUS VIII.

De feria quinta post cineres usque ad dominicam palmarum.

I. FERIA quinta post cineres, sicut et duæ sequentes feriæ, sunt majores, quarum in quovis festo occurrente nona lectio ponitur ad matutinum et fit commemoratio ubique. Si occurrat in feria quinta festum quadraginta martyrum, quia secretæ orationes martyrum et feriæ sunt eadem, pro commemoratione feriæ accipienda est secreta feriæ sextæ sequentis.

II. In his feriis et aliis quadragesimæ quando occurrit festum duplex aut semiduplex, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicuntur duæ missæ conventuales: prima de festo post Tertiam cum colore proprio festi absque commemoratione feriæ et cum evangelio sancti *Joannis*; altera post Nonam de feria absque commemoratione festi occurrentis et cum commemorationibus propriis feriæ.

III. Dominica prima quadragesimæ ante sæculum VII non incidebat in jejunium quadragesimale; siquidem tunc temporis inciperet feriâ secundâ post illam (1): sed cum triginta sex tantum essent dies jejunii, Ecclesia, ut propius sectaretur Christi abstinentiam, supplevit quatuor dies ex hebdomada præcedente: ita ut incipiendo feriâ quartâ cinerum, demptis dominicis, qui-

(1) Regula magistri, p. 2. codicis regularum monasticarum evulgati à *Luca Holstentio*, cap. 28.

bus ob honorem resurrectionis Domini non jejunatur, exactè quadraginta dies jejunii inveniantur.

Hæc dominica olim *dominica tædarum* dicebatur, quia fideles hæc die veniebant in ecclesiam cum facibus seu tædis accensis in satisfactionem dissolutionum, quibus sese tradiderant tempore bacchanalium (1), et hinc fortè est quòd vulgus antiquarum cæremoniarum tenacissimus hæc die in nonnullis locis ignes publicè extruat, quasi ex illis adhuc faces forent accendendæ. Dicitur etiam potest quòd hæc dominica utpotè ultima ante jejunium in pluribus locis esset dies lætitiæ profanæ, qualis adhuc cernitur in bacchanalibus, cujus lætitiæ vestigia conservat populus ignes accendendo.

Dominica prima quadragesimæ ritum habet primæ classis, excluditque quodvis officium occurrens, etiam patroni et dedicationis ecclesiæ. Primæ illius vespere cantantur ante refectionem, et demptis dominicis, sic practicatur deinceps usque ad Pascha, idque ut quædam habeatur analogia inter jejunium modernum et antiquum; hoc enim non solvebatur, ut antè dictum est, nisi priùs recitatis vespere; ideòque in dominicis post meridiem dicuntur, quia diebus illis non jejunatur.

IV. Dominica secunda, tertia et quarta ritum habent secundæ classis, suntque tantùm privilegiatæ contra festa ejusdem ritus; proindèque dum in iis occurrit festum primæ classis, de eo fit officium cum nona lectione dominicæ et

(1) *Grancolas* de dominica prima quadragesimæ.

illius commemoratione ubique. Hoc autem privilegium, quo gaudent dominicæ majores primæ et secundæ classis ad removenda officia concurrentia, non se extendit ad casum concurrentiæ. Undè dum concurrunt vespere alicujus dominicæ majoris cum duplici quocumque, fiunt vespere de duplici cum commemoratione dominicæ: ita tabella concurrentiæ.

V. Dominica tertia in sacramentario *Gelasii*, vocatur dominica scrutiniorum; eò quòd in illa examen fieret catechumenorum, qui ad baptismum aspirabant sub fine jejunii quadragesimalis, seu ante festa paschalia. In nonnullis tamen ecclesiis hoc examen remittebatur in feriam IV hujus dominicæ. Huic scrutinio accedebant exorcismi in catechumenos, quatenus ante baptismum habebantur ut filii dæmonis, et adhuc existentes sub illius potestate. Hâc dominicâ legitur evangelium, in quo Christus liberavit hominem mutum à dæmone possessum, quod optimè quadrabat, dum die illâ scrutiniorum ritus exercebatur. Hujus antiquissimæ cæremoniæ vestigium retinuit ecclesia Leodiensis, nam feriâ IV post dominicam *lætare*, quotannis infantibus quibusdam reservatis, solemnî apparatu, in ecclesia parochiali nostræ Dominæ ad fontes, clero ecclesiæ cathedralis conveniente, baptismus confertur, retinuitque hæc cæremonia nomen scrutiniorum.

Feriâ V. dominicæ tertiæ in missa legitur oratio SS. *Cosmæ et Damiani*, quia hâc die fit Romæ statio in ecclesia his sanctis dicata, indèque transit hæc collecta ad alias ecclesias.

VI. Dominica quarta quamdam meretur an-

notationem : imprimis dicitur dominica *lætare*, ab introïtu missæ, vel dominica *panis* ob panum multiplicationem, de qua in evangelio. Dies est lætitiæ ob solemnem Rosæ aureæ benedictionem, quæ à summo Pontifice agitur assistentibus cardinalibus in vestimentis coloris rosacei. Hanc rosam in signum lætitiæ præ manu defert Pontifex eundo et redeundo à basilica S. crucis et deindè alicui è magnis principibus illam dare solet (1). Benè autem juxta *Durandum* exultatio Ecclesiæ depingitur sub Rosæ symbolo : nam hic flos designat in colore charitatem, in odore jucunditatem et in sapore satietatem : quippè præ aliis floribus colore delectat, odore recreat, et sapore confortat ; delectat in visu, recreat in olfatu, et confortat in gustu. Eundem lætitiæ sensum ubique excitat Ecclesia, quatenùs hâc die infra missam organa pulsantur, ministri inserviunt dalmaticis induti, ac altaria ornantur floribus, imaginibus et reliquiis ; quod non toleratur aliis quadragesimæ dominicis ; siquidem solùm in altari crux et candelabra apponi possint. Porrò Ecclesia in medio quadragesimæ vacat exultationi, ut fideles jejunio languidi paululùm respirent, ac novo fervore recreati residuum quadragesimæ piè sustineant juxta illud poëtæ :

Interpone tuis interdum gaudia curis.

VII. Sabbato ante dominicam passionis habet

(1) De cæremoniis hujus rosæ agit *Durandus*, lib. 6. cap. 55. num. 8. et sequentibus. *Grancolas*, t. 2, de dom. 4. quad. et *Merati*, p. 4. tit. 8. de feria 4. cinerum, n. 25.

tur ordinatio, quæ repetitur sabbato sancto, hæc duæ ordinationes constitutæ sunt in gratiam solemnitatis paschalis; cùm enim pauci olim essent sacerdotes, necessitas non rarò urgebat, ut aliquibus manus imponerentur ante Pascha ad officium resurrectionis cum clero sufficienti celebrandum (1).

Hoc sabbato, priusquam vesperæ cantentur, sive de aliquo sancto, sive de tempore, velantur cruces, icones altarium, Salvatoris et sanctorum, quæ in ecclesia conspectui fidelium offeruntur (2). Nec velum est amovendum quavis veniente solemnitate usque ad feriam sextam hebdomadæ sanctæ (3). Porrò velum juxta ritum Romanum debet esse violacei coloris (4), et

(1) *Grancolas*, tom. 2. dom. 4. quad. in fine.

(2) In primis vesperis dominicæ passionis, non solùm cruces et imagines Salvatoris, sed et icones altarium et omnes imagines sanctorum tegi debent. S. R. C. 4. Aug. 1663.

(3) Imagines et cruces detegi non debent, etiamsi in hebdomada passionis occurrat festum sancti titularis, aut dedicationis ecclesiæ. S. R. C. 16. Novemb. 1649.

(4) Quæsitum fuit à S. R. C. declarari, quo velo coöperienda sit crux in altari ad functionem lotionis pedum in feria V majoris hebdomadæ, et crux processionis, cùm sacerdos indutus sit violaceo, et diaconus colore albo, et actus lotionis, sive mandati præcipiatur in rubricis fieri cum floribus et signis lætitiæ, et videatur participare de festivitate missæ celebratæ manè cum cruce velatâ albo colore, et ex alia parte sit actus humilitatis. Sacra autem Cong. 16. Nov. 1649. respondit colorem non esse mutandum.

Inquiritur, numquid feriâ quintâ in cœna Domini, dum missa sollemnis cantatur, crux coöperta esse debeat velamento albo ratione solemnitatis diei, seu violaceo propter passionis tempus? Respondit S. R. C. albi coloris debet esse velum crucis altaris, in quo missa celebratur; violacei verò crucis processionis et altaris lotionis. Die 20 Decemb. 1783. Dum missa sollemnis cantatur; adeòque post missam ei denuò violaceum apponi debet.

absque ulla cruce in eo depicta aut imagine etiam repræsentante passionem Domini; velantur autem hoc tempore imagines ad luctum fidelibus inspiciendum ob passionem Domini; vel quia Christus instante morte suâ se occultavit, eò quòd nondum venisset hora illius: undè in evangelio dominicæ passionis legitur: *Jesus autem se abscondit, et exivit de templo.*

In primis vespers dominicæ passionis et deinceps in officio de tempore ponitur hymnus: *Vexilla Regis prodeunt*, infra quem, dum dicitur strophæ: *O crux, ave spes unica*, flectunt omnes duobus genibus.

In hoc hymno fit mentio cujusdam prophetiæ David regis: *Impleta sunt, quæ concinit David fidei carmine, dicendo nationibus: regnavit à ligno, Deus.* Quæ cum in psalterio nullibi reperitur, quaeritur undè hic locum invenerit? *Genebrardus* (1) observat illud *à ligno* non fuisse in Hebræo codice, sed à septuaginta additum, et quidem propheticè trecentis circiter annis ante Christum: undè juxta ipsum septuaginta verterunt: *Dominus regnavit à ligno: etenim correxit*, etc., additque hæc verba *à ligno* fuisse è nostris exemplaribus sublata sive à Judæis, sive à Sciolis, ut notitiam linguæ Hebræicæ ostentarent. Sed ut quidam optimè advertunt, impossibile videtur hæc verba excidisse ex omnibus exemplaribus Latinis et Græcis, nemine contradicente: undè meliùs dicitur illa verba *à ligno* non esse de textu quoad sonum, sed benè quoad sensum, prout patet ex *Tertulliano*, *Augustino* et aliis patribus, qui

(1) In commentar. super versu 10. Ps. 95.

exponunt hunc versum psalmi 93 : *Dominus regnavit*, scilicet, *à ligno*; adeoque *Theodulphus* vel juxta alios *Fortunatus* aut alius, qui nobile ac devotum passionis carmen composuit, neglexit sonum syllabarum, ut verum Davidis sensum redderet.

Ab hoc sabbato usque ad feriam secundam post octavam Pentecostes, non fiunt commemorationes de cruce, de sancta Maria, nec aliæ in psalterio positæ, ut ad Christum, ait *Gavantus*, hoc tempore sit unicum refugium nostrum.

In officio de tempore passionis, ad matutinum in fine psalmi *venite exullemus*, omittitur doxologia seu versus *Gloria Patri*, etc., et post versum *quadraginta annis*, dicitur integrè, *hodie si vocem* (1). Idem versus omittitur in responsoriis matutini et parvarum Horarum, ac loco illius repetitur prima pars responsorii, et deindè altera usque ad versum.

Dictum est *in officio de tempore*, quia in officio sanctorum infra tempus passionis, dicitur more solito *Gloria Patri*, etc. Sed quid si fiat officium de sancto sabbatis ante dominicam passionis et palmarum? an in completorio omittendus est dictus versus *Gloria Patri*? 1.º Si officium sit duplex, ita ut dominicæ sequentis fiat tantùm commemoratio, certum est non esse omittendum, quia completorium pertinet ad duplex; adeoque

(1) Omissis *Gloria Patri*, etc. et *nolite obdurare corda vestra*, repeti debere integrè invitorium : *Hodie si vocem Domini audieritis*, respondit S. R. C. 4. Julii 1683. *repeti debere, id est, juxta Merati, Cavalieri et Talu semel tantùm dici debere invitorium integrum post versum* : *quadraginta annis*, etc.

est festivum. 2.^o Si in sabbato fiat de semiduplici, et consequenter à capitulo de dominica cum commemoratione semiduplicis; cum tunc completorium pertineat ad officium passionis, in responsorio omitti debet *Gloria Patri*. 3.^o Si in secundis vesperis dominicæ passionis fiat commemoratio semiduplicis sequentis, non est dicendum *Gloria Patri* in responsorio completorii, quia commemoratio semiduplicis non facit officium ipsi proprium (1).

In sola missa dominicali et feriali tempore passionis, proindèque non in festivis nec votivis, post antiphonam *introïbo*, etc., omittitur psalmus *judica* et versus *Gloria Patri*. Item versus idem omittitur ad introïtum, ad *lavabo* et ad *asperges*. Horum autem omissio nihil habet extraordinarii; olim enim, ut notum est, psalmus *judica me* recitabatur, non ad altare, sed in sacristia per modum præparationis, et versus *Gloria Patri* non erat in usu: undè his omissionibus præcisè missa reducitur ad antiquam simplicitatem, quæ maximè congruit officio luctuoso passionis.

Infra tempus passionis in missa duæ tantùm dicuntur orationes, nempe propria diei et altera pro Ecclesia, vel Papa. Dum autem occurrit simplex, omissâ secundâ oratione pro Ecclesia vel pro Papa, illius loco dicitur propria simplicis. In semiduplicibus verò hoc tempore concurrentibus tres dicuntur orationes, prima semiduplicis, secundâ de feria, et tertia Ecclesiæ vel pro Papa (2).

(1) Ita *Guyetus* contra *Gavantum*, lib. 4, cap. 18, qu. 26.

(2) S. R. C. 10, Jan. 1697.

Hicque notari potest dominicam passionis, pariter et palmarum habere ritum primæ classis : ideòque excludere quodvis officium in iis occurrens.

In ecclesiis Senonensi (*Sens*), Cabillonensi (*Châlons sur Saône*) et Rhemensi, infra tempus passionis adhibentur paramenta coloris rubri, verosimiliter ob sanguinem Christi in ipsius passione effusum : verùm juxta ritum Romanum coloris violacei, quatenus concordat cum officio lugubri hujus temporis, et ut hujus temporis mœrorem magis designet. Ecclesia Parisiensis juxta *Grancolas* utitur colore nigro.

VIII. Feria VI hebdomadæ passionis fit festum B. M. V. sub titulo spasmi B. M. V.; apud alios sub titulo compassionis; nos autem ritu Romano sub titulo 7 dolorum B. M. V. Primus titulus, quo præsens festum denominatur, videtur apocryphus, nam graves et multi auctores sustinent et probant B. V. M. nec in itinere ad montem Calvariæ, nec in ipso monte spasmus, seu deliquium passam fuisse : *in tantis doloribus*, ait unus ex illis, episcopus nempe Castoriensis (1), *nulla in illa imbecillitas, nulli corporis motus indecori, nulla ejulantium lamenta, tristem videbas, dejectam non videbas. Dolebant materni affectus, sed decorâ gravitate; lugebant materna viscera, sed integrâ mentis serenitate. Feriebantur virginei sensus vulneribus Filii, sed imperturbato spiritu, quo amabat et adorabat divinam justitiam, simul et misericordiam, quæ altissimo consilio destinaverant Christi dolores ad hominum redemptionem.* Secun-

(1) In tractatu de cultu Sanctorum, præsertim B. Virginis.
Tom. III, liturgie.de 7

dus titulus hujus festi, nempe compassionis, illi
 convenienter adaptatus videtur contra *Thiers*,
 qui (1) fortiter improbat hymnum *Stabat Mater*
dolorosa juxta crucem lacrymosa; eò quòd in illo
 Dei Mater depingatur mœrore confecta: huic sen-
 tentiæ favere videtur divus *Ambrosius*, qui (2)
 loquens de B. Virgine, cùm staret sub cruce, ait:
stantem illam lego, flentem non lego. Ast contrafacit
 auctoritas magni et docti Pontificis, nempe *Inn. III*,
 cui communiter tribuitur prosa *Stabat* (3). Deindè
 auctoritas ipsius evangelii (4), in quo legitur
 relativè ad B. V. M. *et tuam ipsius animam pertransi-*
bit gladius non materialis, sed doloris, ut habet
 communis interpretatio. Nec obest vim doloris indi-
 cium dare debilitatæ fortitudinis et fractæ constantiæ.
 Nam si in Christo lacrymæ, tristitia usque ad mortem
 stare potuerint cum animi fortitudine et serenitate,
 quidni et in ipsius Matre?

Tertius titulus, nempe 7 dolorum, sub quo
 colimus hoc mysterium, magis est obscurus: hanc
 tamen illius dat elucidationem *Saxius* (5); refert
 quippè ad septem ordinis servorum fundatores,
 qui dolorum B. Mariæ contemplationi vacantes,
 eos in septem divisère, quorum aliqui habentur
 in evangelio, cæteri probabili ratione, et au-
 ctoritate verosimiles fiunt. Et undè hoc festum
 denominatum est 7 dolorum. Quoad ætatem hu-
 jus officii, institutum invenitur in provinciali sy-

(1) Tractatu de superstitione gallicè scripto, t. 2. cap. 8.

(2) Concione de morte *Valentini*.

(3) De auctore hujus prosæ, videri potest *Bened. XIV.* tom.
2. de festis, p. 2. n. 52.

(4) *Lucæ*, cap. 2.

(5) Part. de L. B. M. V. pag. 163.

nodo *Theodorici* Coloniensis episcopi anno 1413, ad comprimendam Hussitarum audaciam, qui sanctissimas B. M. dolore confossæ imagines sacrilego furore fœdabant; indèque sub indultis pontificiis transiit ad varias ecclesias particulares: Carthusiani quoque inter regulares hoc festum in calendario ordinis primi fixerunt, et tandem *Benedictus XIII* decreto Urbis et Orbis sub data 22 Aug. 1727 indulisit omnibus, tum sæcularibus, tum regularibus, iisdemque præcepit ut officium 7 dolorum B. M. V., feriâ VI infra hebdomadam passionis quotannis recitarent (1). Hoc decreto citatus Pontifex ad uniformitatem generalem reduxit celebrationem hujus officii; cùm enim fieret in certis tantùm locis ex indulto, et quidem diversis temporibus; unum et idem officium omnibus assignavit, fixitque in feria VI dominicæ passionis, ob congruitatem hujus temporis cum accentibus lugubribus officii dolorum B. M. V., tantamque hanc congruitatem habuit S. R. Congreg. ut præceperit omissionem hujus officii, dùm fieri nequit infra hebdomadam passionis ob occurrens aliquod festum solemne.

Ab hac lege excipiuntur fratres ordinis servorum B. M. V.; habent enim officium particulare

(1) Bened. PP. XIII benignè indulisit, ut officium B. M. 7 dolorum pluribus regnis, dominiis, civitatibus ac diœcesibus jam concessum, in posterum jam feriâ VI post dominicam passionis ab omnibus Christi fidelibus sæcularibus et regularibus utriusque sexûs, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu duplici majori recitari, et missa respectivè celebrari possit et debeat, servatis in reliquis rubricis missalis et breviarii Romani; ac ita in breviario et missali Romano apponi mandavit præfatus Pontifex die 22. Aug. 1727 in decreto Urbis et Orbis.

hujus festi, quod *Carolus VI* Imperator in suis statibus hæreditariis celebrari posse dominicâ tertiâ Septembris obtinuit à *Clem. XII* sub dato 28 Aug. 1754. Ast hoc indultum locum non obtinuit in statibus, saltem omnibus, hæreditariis domûs Austriacæ; siquidem in directoriis Belgii nullum aliud officium 7 dolorum B. M. V. assignetur præter illud, quod feria VI dominicæ passionis legitur (1).

ARTICULUS IX.

De dominica palmarum.

HÆC dominica nomen sortitur à palmis, quæ hâc die benedicuntur; et quibuscum fit processio. In Galliis olim dicebatur *Capitilavium*, gallicè *lave-tête*, quia hâc die baptizandorum caput lavabatur, ut mundi fierent ad sacram unctionem baptismi: alibi autem *Pascha competentium*, eò quòd hâc die symbolum catechumenis explicaretur. Hebdomada dominicæ palmarum *sancta* nominatur ob justificationem impiorum, inquit *Durandus* (2), cui addi potest, et maximè ob sanctitatem mysteriorum, quæ infra illam recoluntur, nempè institutio Eucharistiæ, passio et mors Christi, quarum merita per collationem baptismi catechumenis applicabantur: ut autem fideles unicè his mysteriis vacarent, olim per totam

* (1) Festum illud Ordini servorum B. M. V. concessum ad universam Ecclesiam extendit SS. D. Pius VII Decreto Urbis et Orbis 18 Septembris 1814. Conf. Supplementum ad Collectionem Decretorum, n. 619.

(2) Lib. 6. cap. 47. n. 18.

hebdomadam abstinebant ab operibus servilibus: hujus feriatiōnis mentionem faciunt constitutiones apostolicæ (1), quam et extendunt ad totam hebdomadam Paschæ his verbis: *totâ magnâ hebdomadâ et proximâ sequenti vacent servi, quia illa passionis est, hæc resurrectionis.* Idem referunt *Photius* (2) et *Gregorius IX* (3). Vocatur in constitutionibus suprâ citatis *magna*, et in libris nostris liturgicis *major*, non à tempore, sed ab officio prolixiore juxta *Durandum* loco citato, vel etiam ob magnitudinem mysteriorum, et notanter redemptionis humanæ quæ lectione quater repetitâ passionis et multis lugubribus cæremoniis ad mentes fidelium revocatur. Auctor constitutionum apostolicarum, de quibus antè, hanc septimanam vocat *hebdomadam Paschæ* usu Græcorum, qui hebdomas indigitant à dominica sequente, sed nos usu Ecclesiæ latinæ illas denominamus à dominica præcedente, quâ incipit hebdomada, sic ut præsens dici debeat hebdomada, non Paschæ, sed palmarum seu ramorum.

Palmarum benedictio juxta *Græcolas* vigeat sæculo V in Ecclesia Orientali, et in Occidentali seu Latina sæculo VIII. Porrò palmas hâc die gestantes gloriosum Christi sedentis in asina ingressum in Jerusalem celebramus, de quo *Matt.* cap. 21. his verbis: *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via: turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, cla-*

(1) Lib. 18. cap. 53.

(2) In Synopsi legum imperialium et canonicarum.

(3) Decretali de festis.

mabant dicentes : Hosanna Filio David : benedictus qui venit in nomine Domini. Quamvis tamen gloriam Christi intrantis in Jerusalem hodie recolamus, nihilominus cum mœstitia officium celebramus, quia Christus ingressus est tamquam victima brevè in cruce immolanda.

Cùm multa materia se offerat in hoc articulo tractanda, illum dividemus in paragraphos, quare sit

§. I.

De benedictione palmarum.

I. ANTE finitam Tertiam, ubi cantatur, et alibi ante ingressum sacerdotis ad altare, paretur mensa in cornu epistolæ mappâ seu linteo undequaque coöperta, et super eam ponantur palmæ seu olivæ, aut rami ex aliis arboribus. In his locis communiter rami ex buxis benedicuntur; proindèque tales, quantum fieri potest, sunt adhibendi.

II. Finitâ Tertiâ, sacerdos indutus stolâ et pluviali, vel sine eo, si habere non possit, et absque casula, diaconus cum stola et manipulo, et subdiaconus cum manipulo (1), procedunt ad altare, uti dictum est sub diè purificationis. Sacerdos constitutus in cornu epistolæ, stantibus propè ministris, legit, mediâ voce, manibus jun-

(1) Ministri sub hac palmarum benedictione assumunt manipulos, quia infra hanc cæremoniam epistolam et evangelium respectivè tenentur cantare. Ut attendenti patet, ritus hujus benedictionis habet rationem cujusdam missæ siccæ, quod innuit juxta *Grancolas* olim palmas fuisse benedictas sub reali sacrificio.

ctis, et absque sui signatione, antiphonam *Hosanna*. Quâ finitâ recedunt ministri : celebrans autem, cantu cessante, non se vertens ad populum, nec manus disjungens cantat tono feriali *Dominus vobiscum*, et deindè manibus junctis et inclinans caput ad crucem sub *oremus*, ac postea orationem, infra quam subdiaconus, more solito, accipit librum, et factâ circa finem orationis in medio genuflexione, cantat in tono epistolæ lectionem de libro Exodi; tum in medio renovatâ genuflexione, accedit ad celebrantem, cujus manum genuflexus osculatur, et deindè ab eo benedicitur. Erectus librum dimittit in manus acolythi, vel diaconi si eodem utatur. Deindè se transfert ad celebrantem, ac stans juxta illum respondet ei, quando opus est.

III. Interim dum cantatur lectio, celebrans, adstante diacono, eam legit manibus in librum depositis, et responso per diaconum *Deo gratias*, pergit legere responsorium. Accedente subdiacono post cantatam lectionem, redit diaconus ad locum, sub debitis inclinationibus librum recipit, eumque more consueto deponit in altare, ac redit ad celebrantem. Hic, ut signavit subdiaconum, remanens in cornu epistolæ se profundè inclinat (1), et secretò recitat *munda cor meum*, etc., *jube, Domine, benedicere*, etc. ac in eodem cornu legit evangelium præmittens *Dominus vobiscum*. Lecto evangelio thus ibidem imponit et benedicit ministrante diacono. Deinde diaconus, ut moris est, dicit *munda cor meum*, etc., accipit librum et petit benedictionem, ad quam sacerdos se vertit per suam

(1) *Merati*, tom. 1. p. 4. tit. 7, de dominica passionis, n. 14.

sinistram, statque ibidem facie versâ ad diaconum sub cantu evangelii. In fine celebrans textum osculatur dicens : *Per evangelica dicta*, etc., et incensatur à diacono.

IV. His peractis, celebrans ad librum conversus, et stantibus ad latera ejus ministris, vel constitutus uti ad introitum missæ, cantat tono feriali et manibus constanter junctis, *Dominus vobiscum*, orationem *adauge*, et præfationem, sub qua dicens *Deo* elevat oculos ad crucem, et *nostro* caput ei inclinat. Post præfationem sacerdos et ministri mediocriter inclinati dicunt *sanctus*, et ad *benedictus* erecti se signant.

Pergit deindè celebrans, manibus junctis, cantare quinque orationes, et dum rami sunt signandi, diaconus semper elevat partem anteriorem pluvialis (1). Expletis orationibus, celebrans ponit incensum et illud benedicit; deindè ter aspergit ramos, dicens *asperges me*, etc., ac postea ter eos incensat, ut habetur in benedictione

(1) *Gavantus* et *Merati* hic tenent sacerdotem signantem ramos debere manum sinistram in altare deponere. Et hoc imprimis nullam patitur difficultatem, quando res signanda est in altari, sed quando jacet extra illud, res non est adeò clara. Equidem rub. gen. p. 2. tit. 3. n. 5. habent : *cùm se ipsum signat, semper manum sinistram ponit infra pectus : in aliis benedictionibus, cùm est ad altare et benedicit oblata vel aliquid aliud, ponit eam super altare, nisi aliter notetur.* Cùm autem hic nihil aliter notetur, videtur manum sinistram esse in altare deponendam. Sed respondetur rubricam supponere rem benedicendam ad instar oblatorum esse in altari : hinc communiter auctores tenent thus infra missam esse benedicendum sinistrâ corpori applicatâ, quamvis rubrica nihil notet circa hoc; et ratio ipsorum est, quòd thus extra altare jaceat; cùm ergò rami sint extra altare, dicendum videtur manum sinistram esse corpori applicandam sub eorum signationibus.

cereorum. Ramis incensatis, cantat *Dominus vobiscum* et orationem *Deus, qui Filium*, etc.

V. Completâ benedictione, dignior è clero accedit ad celebrantem constitutum in medio suppedanei altaris, et medium inter ministros: diaconus quippè stat ad illius sinistram, et ei porrigit palmas, quas priùs osculatur in parte inferiore, sed non manum; subdiaconus verò à dextris elevans pluviale; dignior è clero, ut pervenit ad gradus altaris, extra infimum genuflectit coram tabernaculo, et erectus caput humiliat coram celebrante; tum ascendit, et receptam à diacono palmam, prævio illius osculo ut suprâ, offert celebranti cuius manum osculatur. Celebrans, osculatâ parte inferiore palmæ, illam tradit acolytho custodiendam, vel deponendam, usque ad finem distributionis. Interea flectit duobus genibus dignior è clero, et palmam, prævio manûs et ipsius palmæ osculo, recipit à celebrante, descendit deindè, et extra gradus conversus ad altare, primò ei exhibet reverentiam ut suprâ, et secundò celebranti. Si in altari esset tantùm crux, videtur satis esse, si accedentes ad celebrantem, et ab altari recedentes caput profundè inclinent cruci simul et celebranti.

Cum celebrans palmam recipit, in choro intonatur antiphona *pueri Hebræorum*, et alia cantantur ut in Graduali, quæ si non sufficiant, repetuntur donec absolvatur ramorum distributio.

Post digniorem à clero, accedunt successivè diaconus ministrans, subdiaconus, omnes è clero in suo respectivè ordine, nobiles et magistratus, ac flexi omnes duobus genibus coram celebrante, ab eo recipiunt palmas, osculantes priùs

manum illius, et deindè palmam in ima ipsius parte.

Aliis convenientiùs distribuuntur ad cancellos presbyterii, notarique debet quòd mulieres solam palmam osculari debeant.

Si fortè præsens adesset aliquis præsul, palmam reciperet à celebrante inclinatus tantùm et cum osculo dictæ solius palmæ, idque ante digniorem è Clero. Quòd si ad altare non accedat, palma ad eum defertur ab aliquo sacerdote in habitu, qui priùs palmam, seu in die purificationis cereum et deindè manum præsulis osculabitur, quique præbebit eidem reverentiam capitis ante et post traditionem : ipse autem præsul osculum præbebit soli rei receptæ (1).

In cathedralibus et ecclesiis collegiatis, si missa fiat à beneficiatis, canonici ante diaconum et subdiaconum ministrantes, palmas recipiunt inclinati tantùm, et solam palmam osculantes. Si verò officium celebretur à canonicis, ministri priùs palmas recipiunt, et deindè canonici ut suprà inclinati et solam palmam osculantes (2).

VI. Post palmarum distributionem, celebrans manus lavat in plano juxta cornu epistolæ assistentibus ministris. Quòd si distributionem compleverit ad altare, præviâ cruci vel tabernaculo reverentiâ, descendit per gradus laterales in cornu epistolæ et per eosdem reascendit, ut cantet orationem *omnipotens sempiterne Deus*.

(1) *Merati*, parte 4. tit. 7. de dom. pass. n. 19.

(2) *Gvantus* ex cær. episc. lib. 2. cap. 17. et *Merati*, loco cit. n. 20.

§. II.

De processione hujus diei.

I. FINITA oratione, celebrans et ministri eunt ad medium altaris, et factâ ab omnibus altari debitâ reverentiâ, thus imponitur et benedicitur ministrante diacono; moxque diaconus deposito manipulo, et traditâ sub osculis ordinariis celebranti palmâ, suam recipit, flectit, et constitutus retrò post celebrantem facie versâ ad populum cantat *procedamus in pace*. Ubi non adest diaconus, ipse sacerdos ut suprâ ad populum versus eadem verba habet ad illum (1).

II. Ordo sequens servatur in hac processione: 1.^o Incedit thuriferarius. 2.^o Subdiaconus ministrans cum cruce, in cujus summitate sit alligatus ramus ex palmis benedictis, præviè autem debet manipulum deponere (2). 3.^o Clerici bini et bini. Si numerus sit impar, tres ultimi simul incedunt. Qui tenet dexteram, ramum portet dexterâ; qui verò sinistram, manu sinistrâ. Ubi non adsunt clerici, uti accidit in ecclesiis minoribus, crucem sequuntur viri cum palmis, et ultimo loco Tenantes et Mamburnus. 4.^o Cantores. 5.^o

(1) In quibusdam locis juxta *Grancolas* de officio dominicæ palmarum, et notanter Parisiis rami benedicuntur extra urbem ad *S. Genovevam* ad latus Parisiorum, quâ benedictione peractâ omnes palmas ibidem recipiunt, et cum iis processionaliter intrant civitatem; ratio hujus cæremoniæ per se patet, nempè ut propiùs prematur exemplum Salvatoris intrantis Jerosolymam.

(2) *Merati ex Polacco*, p. 4. tit. 7. de dom. pass. n. 22.

Celebrans cum diacono à sinistris : hique incedunt capite coöperto, quo modo etiam procedere possunt alii clerici, saltem extra ecclesiam. 6.^o Sequuntur celebrantem nobiles et magistratus, masculi deindè, et tandem mulieres.

III. Sub reditu, appropinquante ad ecclesiam processione, duo vel quatuor cantores, non unus, vel tres, è suo ordine tempestivè discedunt, et intrant ecclesiam, cujus fores supra se claudunt. Extra ecclesiam crucifer se sistit prope portam, accedunt pariter ad eam cantores, et in eorum medio se constituit celebrans cum diacono. Tum cantores qui intùs sunt, intonant facie versâ ad portam *Gloria, laus*, et prosequuntur usque ad secundum versum inclusivè, id est, usque ad *Israël es tu* exclusivè, quod benè notandum est ex rituali Romano (1), in emendationem missalium, et processionalium; sacerdos verò et cantores, qui stant extra, eosdem duos versus in cantu repetunt. Deindè pergunt cantores in ecclesia *Israël es tu*, usque ad *cætus in ecclesiis* exclusivè, et sacerdos cum aliis resumit *Gloria, laus*, etc., usque ad *Israël es tu*. Sicque pergunt alternatim usque in finem cantici, quod et frangi potest ad libitum celebrantis post aliquot versus ex eo decantatos. Dum igitur finem indicat celebrans, crucifer imâ parte baculi crucis semel tantùm percutit portam ecclesiæ, quæ statim aperitur ab iis, qui sunt in ecclesia, et processio, ordine suprâposito, ingreditur ecclesiam, cantoribus responsorium *ingrediente Domino* intonantibus et illud prosequentibus.

(1) De processione in die palmarum.

Decantatis , inquit processionale Romanum , versibus , de quibus suprâ , in quibusdam ecclesiis celebrans cantat : *attollite portas principes vestras et elevamini portæ æternales , et introibit Rex gloriæ* , cui respondent interrogando cantores qui sunt in ecclesia : *quis est iste Rex gloriæ?* quibus celebrans eodem tono dicit : *Dominus fortis et potens , Dominus potens in prælio*. Statimque celebrans tono paulò altiori resumit : *attollite portas* , etc. Cantores deindè eodem tono faciunt secundam interrogationem , et celebrans responsum in processionali positum. Tandem idem celebrans voce magis elatâ tertio cantat *attollite* , fitque similiter interrogatio ex parte cantorum , et responsio ex parte celebrantis per hæc verba : *Dominus virtutum , ipse est Rex gloriæ*. Postea hastili crucis percutitur porta , quâ statim apertâ , processio intrat ecclesiam cantando responsum *ingrediente*.

Si tempus fuerit pluviosum , sic ut processio foràs ire nequeat , hæc omnia peragi possunt intrâ ambitum ecclesiæ , seque includet celebrans in vestibulo ecclesiæ , vel in campanili , aut alio loco opportuno.

Quantùm ad rationes hujus cæremonix , breviter dici potest portas clausas designare exilium hominis peccatoris à cælo , eas verò apertas ejusdem liberationem , quam acquisivit , non aliundè , sed mysterio crucis , quâ porta ecclesiæ percussa statim aperitur (1).

* (1) Casu quo dominicâ Palmarum celebranda erit oratio 40 horarum seu oratio perpetua SS. Sacramenti , et fieri debet benedictio Palmarum , hæc facienda erit in alio sacello , seu altari laterali , quo magis fert ecclesiæ structura , distante ab

§. III.

De missa dominicæ palmarum.

I. INFRA processionem aliquis inter candelabra altaris erigit ramos benedictos, qui et ornari possunt fimbriis argenteis vel aureis, quia, ut diximus, officium hujus diei partim est lætum, partim lugubre.

II. Celebrans, peractâ processione, deponit pluviale, si eo usus fuerit, et accipit manipulum et casulam violacei coloris; pariter et ministri manipulos assumunt, non autem dalmaticas, quod est benè è rubrica notandum: proceduntque ad altare more solito, id est, absque palmis in manibus.

III. In missa dicitur tantùm unica oratio; adeòque si quæ sit fortè ab episcopo præcepta ob necessitates publicas, omitti debet, tam in missa solemnî, quàm privata. Si tamen missa cantaretur coram Venerabili exposito, adderetur orationi missæ collecta de Venerabili sub una et eadem conclusione.

IV. Infra epistolam, dum subdiaconus cantat *ut in nomine Jesu*, etc., omnes flectunt duobus genibus usque ad *inferiorem* inclusivè. Si celebrans absolvit epistolam et ea quæ sequuntur, antequam subdiaconus proferat verba prædicta,

ara maxima, in quâ SS. expositum est, servatis omnibus cæremoniis in missali præscriptis, sed absque processione. S. R. C. die 17 Sept. 1820. Juxta A. Gardellini eadem regula servanda erit in die Purificationis B. M. V., et feriâ IV. Cinerum. Consulte supplementum ad Collectionem Decretorum, n. 642.

accedit ad medium; accedit simul et diaconus sequens ad sinistram celebrantis; exhibentque reverentiam cruci seu tabernaculo, sacerdos per inclinationem capitis, et diaconus per genuflexionem; tum recedunt ab altari, ad quod celebrans se vertit per suam sinistram, ne terga vertat diacono, et hic per suam dexteram, flectuntque duobus genibus in superiori gradu altaris, seu super suppedaneo, tempore quo subdiaconus verba supra citata cantat. Reascendunt deinde ad medium altaris, et ibi renovatâ reverentiâ ut modò, redeunt ad cornu epistolæ.

V. Post epistolam cantatur passio à tribus diaconis, de quorum numero non debet esse inserviens: hi induti stolis transversis communibus, seu non latioribus, circa finem epistolæ procedunt ad altare cum palmis, flectunt in infimo gradu altaris cum modica pausa, et deinde vadunt ad cornu evangelii, ubi sunt erecta tria legilia intrâ lineam rectam: medium occupat evangelista, seu qui cantat partem litterâ C signatam; hujus dexteram tenet qui agit personam Christi, seu qui cantat partem ✕ signatam, et tandem sinistram, qui cantare debet partem litterâ S signatam (1). In illo situ tenentes palmas manu sinistrâ, dexterâ corpori applicatâ, cantant passionem usque ad ultimam partem, quæ locum tenet evangelii, et quæ absolvitur à diacono ministrante. Quando igitur ad illam partem perveniunt, mediante reverentiâ coram altari, redeunt ad sacramentum ordine quo venerunt, id est, incedente

(1) Ita contra aliquos *Gavantus, de Bralione, à Portu et Meruti*, p. 4. tit. 7. n. 50.

primò, qui partes egit evangelistæ, secundò qui turbarum, et tertiò qui Christi (1). Dum autem flectunt eundo vel redeundo medium tenet qui Christi vices egit; qui evangelistæ, illius dexteram, et alter sinistram.

Dum sic passio canitur, celebrans eam legit voce mediâ in cornu epistolæ, assistantibus ipsi ministris. Quando pervenit ad ultimam partem, transfertur liber à subdiacono ad cornu evangelii, et ibi celebrans partem illam absolvit.

VI. In his partibus usus communis habet, ut passio cantetur à celebrante et ministris. Cantatâ ergò epistolâ, ramos accipiunt, quos, ut suprâ, tenent manu sinistrâ infra passionem. Pariter clerici et populus suos accipiunt, quos stantes tempore passionis gestant dexterâ manu. Ramo accepto, diaconus vadit ad cornu evangelii, ubi incipit *passio Domini*, etc., et in illius decursu cantat omnia, quæ sunt notata litterâ C; subdiaconus verò se sistit in loco, ubi ordinariè cantatur epistola, et omnia cantat, quæ notantur litterâ S; celebrans tandem in cornu epistolæ, ubi legi solet introitus missæ, et cantat illa quæ signo ✠ indigitantur; ea autem, quæ cantantur à ministris, legit voce quasi submissâ et ita lentè ut non fiat interruptio partium. Post hæc verba *emisit Spiritum*, flectunt omnes duobus genibus, ac sacerdos et ministri versùs suos respectivè libros et alii in suis locis. Post moram autem unius *Pater noster*, etc., surgente diacono, omnes simul surgunt. Absolutâ passione usque ad partem quæ locum tenet evangelii, subdiaconus transfert li-

(1) Cær. Episc. lib. 2. cap. 21. §. 15.

brum sacerdotis ad cornu evangelii, ubi celebrans, dicto *munda*, absque *Dominus vobiscum*, absque *sequentia* et sine signatione, legit ultimam partem, cujus initium in fine non osculatur. Interim diaconus, dicto *contra sepulchrum*, librum tollit è pulpito, clausum deponit in altare, ministrat thus sacerdoti more solito, dein recitat suum *munda*, librum accipit, petit benedictionem, et ad pulpitem redit, ubi aperto missali, illud ter incensat: tum palmam gestans absolutè incipit cantare in tono evangelii *alterá autem die*. In fine liber defertur ad celebrantem, qui initium ultimæ partis osculatur, dicens *per evangelica dicta*, et postea à diacono incensatur.

Infra utramque consecrationem omnes in choro et ecclesia ramos accipiunt, et dexterá tenent. Quoad celebrantem et ministros, post cantatum evangelium eos dimitunt, nec ampliùs resumunt, ne quidem redeundo ab altari.

VII. Restat notandum quòd in missis privatis tota passio legi debeat in cornu evangelii (1), et quòd ab hac die usque ad dominicam in albis prohibeantur missæ votivæ et de *requiem*.

ARTICULUS X.

De festis occurrentibus infra quindenam Paschatis.

I. QUODLIBET officium occurrens à dominica palmarum usque ad dominicam in albis inclusivè, dispositione rubricarum generalium transfertur post quindenam Paschatis ad primum diem non

(1) S. R. C. 4. Aug. 1665.

impeditum festo duplici aut semiduplici. Quòd si officium incidens in quindenam annexum habeat festum in populo, ut *S. Joseph* aut patroni loci, translato solo officio, festum manet diei adherens, adeòque die illo est abstinendum ab operibus servilibus, et missa ab omnibus de præcepto audienda: hinc si tale festum inciderit in feriam V. in cœna Domini, ante missam solemnem tot dici possunt missæ privatæ, quot sunt necessariae ad præcepti observationem; id enim indulsit S. R. C. pro festo annuntiationis B. M. V. et *S. Joseph* (1), ac implicite pro omnibus aliis. Idem dicendum, casu incidente in sabbatum sanctum, sub hac tamen modificatione, quòd missæ privatæ celebrari tantum possint post missam solemnem. Quando autem id accidit feriâ VI in parasceve, simpliciter est abstinendum ab operibus servilibus, nec est obligatio stricta assistendi officio diei, quia in eo missæ sacrificium non offertur. Interim qui tali officio non adsunt, debent aliquibus piis operibus diem illum sanctificare.

Ex his colliges non videri quâ auctoritate nonnulli contra rubricas et tenorem decretorum S. R. C. festum patroni incidens in quindenam, transferant post Pascha non solum quoad officium, sed et quoad feriacionem; eximunt enim

(1) Archidiacono et canonicis capituli cathedralis Cameriniensis petentibus, an ipsis liceret plures missas celebrare feriâ quintâ in cœna Domini, in qua cadit festum S. annuntiationis? S. C. respondit licere; et jussit ut à cardinali vicario singularum ecclesiarum urbis rectoribus idem notificaretur. S. R. C. 20. Martii 1660. Idem statuit respectu *S. Joseph*, 15. Septembris 1692.

parochianos sine auctoritate ab obligatione diei annexa, et ipsis imponunt eandem, quando non subsistit; proindèque talis abusus, non obstante quâvis consuetudine, est tollendus.

II. Aliquid speciale statuitur pro festo annuntiationis B. M. V.: undè 1.^o quando incidit in aliquam dominicam quadragesimæ, transfertur quoad solum officium in feriam secundam immediatè sequentem, modò hæc dies non sit impedita festo altioris ritûs in eam incidente. 2.^o Quando idem festum occurrit feriâ VI in parasceve aut sabbato sancto, transfertur ad feriam secundam post dominicam in albis quoad officium, feriationem et indulgentias (1); hæcque feria tali anno censetur dies propria annuntiationis, ac habet privilegium removendi quodvis officium translatum, et omnia officia in dictam feriam occurrentia, modò non sint ritûs altioris (2): casu autem quo hæc feria secunda sit dies fixa festi ritûs altioris, tunc fe-

(1) Ita declarasse S. R. C. 2. Julii 1614, testatur *Spiridion Talu*, ac ita tenent jam omnes auctores.

(2) Si festum S. annuntiationis *Mariæ* occurrat in feria sexta parasceves vel in sabbato sancto, transferatur unâ cum præcepto audiendi missam et vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post dominicam in albis, etiam quocumque festo impeditam; ita ut eadem feria, prædicto casu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro sede propria et fixa memorato festo annuntiationis assignata et stabilita intelligatur: et in illa eo prorsùs modo et formâ præfatum festum quoad officium et missam celebretur, quibus propriâ die 25. Martii in calendario Romano appositum celebraretur: protrahatis ad aliam diem non impeditam juxta rubricas breviarii Romani omnibus aliis festis in eadem feria occurrentibus, quæ non sint altioris ritûs. S. R. C. 11. Martii 1690.

Extat apud *Spiridionem Talu* aliud decretum sic conceptum: quando festum annuntiationis B. M. V. transfertur simul cum præcepto audiendi Sacrum ad feriam secundam post

stum in populo annuntiationis manet in die illo, sicut et indulgentia, officium transfertur ad primum diem non impeditum festo duplici vel se-

dominica in albis, præfertur cuicumque etiam primæ classis eo die occurrenti. Si verò transfertur absque præcepto audiendi Sacrum, præfertur quidem cuicumque festo translato, licet primæ classis; non autem festis eo die occurrentibus. S. R. C. 2. Sept. 1741. Ast *Cavalieri* in hoc scribens rectè advertit plus hæc dispositione tribui festo translato annuntiationis B. M. V. quàm ei competat in die illi propria; nam si 25. Martii occurrat festum primæ classis, v. g. patroni ecclesiæ, transferri debet officium dictæ annuntiationis, hoc autem repugnat; adeoque stare nequit præfatum decretum; autumatque citatus auctor mendum intervenisse in illius impressione, exarando primæ pro secundæ classis. Sed quidquid sit, dubitari etiam potest de illius existentia, vel saltem authenticitate, cum in collectione exacta decretorum apud *Merali* non inveniatur: undè concludimus huic decreto fidem adhiberi non posse. Interim si quis velit in eo legere 2.æ classis loco 1.æ classis, tutam habebit regulam, omninòque conformem aliis decretis in præsentia materia.

1 quer * Decretum illud 2 Septembris 1741 iisdem verbis legitur in collectione Al. Gardellini sub n. 3960, quàm apud Spiridionem Talu. Et Sacra Congregatio Decreto generali 22 Martii 1817 declaravit: 1. Decretum editum die 2 Septembris anno 1741 intelligendum esse de quocumque festo in feria secunda post dominicam in Albis occurrente, etiamsi sit Patroni Principalis, vel Titularis vel Dicationis, quod cedere debet festo annuntiationis translato quoad chorum simul et forum.

2 quer * 2. Festum primæ classis, quod eâ die occurrat vel sit de Patrono principali, vel de Titulari, vel de Dicatione ecclesiæ, transferendum esse juxta modum à Rubrica præscriptum, nisi ab Apostolica sede tributum fuerit, ut in feriam tertiam, vel in aliam certam diem assignatam reponatur.

* Pro provincia Mechliniensi exstat decretum synodi provincialis celebratæ an. 1607. et approbatæ à Paulo V. tit. 13. cap. 5. sub hoc tenore: Festum annuntiationis beatæ Mariæ, si quando inter dominicam palmarum et dominicam in albis occurrerit, celebretur juxta receptam consuetudinem tam à populo, quàm à clero, feriâ tertiâ post dictam dominicam in

miduplici. 3.^o Dum annuntiatio incidit infra quindenam alio die quàm feriâ VI vel sabbato sancto, festum servatur in populo die quo incidit, manentque indulgentiæ affixæ 25 Martii (1), et solum officium transfertur ad feriam secundam post dominicam in albis cum privilegio removendi alia officia, ut suprâ dictum est.

III. Quæ dicta sunt numero superiori, quasdam patiuntur exceptiones in diœcesi Leodiensi ratione breviarii particularis dictæ diœcesis: undè 1.^o quando festum annuntiationis incidit in dominicam quadragesimæ, festum servatur in populo feriâ secundâ sequente per totam diœcesim. 2.^o Quando incidit in hebdomadam majorem, ritu Leodiensi anticipatur quoad officium et festum sabbato ante dominicam palmarum; huic ritui se accommodant ritum Romanum sequentes in diœcesi, sed quoad feriatiorem tantùm; nam quoad officium transfertur, ut suprâ, post quindenam absque ulteriori feriatiore. Quando autem præfatum festum cadit infra octavam Paschæ, concordant ritus Leodiensis et Romanus quoad officium et festum, hoc est, quòd in diœcesi Leodiensi utentes breviario Romano feriâ 2^{da} post octavam Paschæ cum aliis recitent officium simul et servent festum annuntiationis B. M. V. in populo.

albis: si verò in aliam quamlibet dominicam quadragesimæ, præterquam palmarum, inciderit, celebretur feriâ secundâ proximè sequenti, etiam à populo.

(1) Translato festo (*scilicet quoad officium*) in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia. S. R. C. 50 Septemb. 1679.

Alia exceptio versatur circa festum *S. Joseph*, quod incidens in hebdomadam majorem, celebratur etiam ritu Leodiensi infra hebdomadam passionis quoad officium et festum, et cui se conformant utentes breviario Romano quoad solam feriatiorem, translato officio *S. Joseph* ad diem non impeditum post octavam Paschæ.

Quæres 1.^o in locis ubi annuntiatio est titulus, et festum illius celebretur feriâ secundâ post dominicam in albis, an, quando et quomodo celebrari debeat cum octava? Aliqui præfato festo in casu denegant octavam, sed infundatè; cum enim dicta feria secunda annis, quibus festum annuntiationis ad eam transfertur, saltem cum feriatiore, sit dies illius propria, et octavæ tunc non prohibeantur, ullâ ratione illi octava denegari nequit. Dixi, *saltem cum feriatiore* seu festo in populo, quia si festum dictæ annuntiationis à populo servetur infra hebdomadam sanctam vel ante, ut in diocesi Leodiensi, in hoc supposito illius officio concedi nequit octava: ratio hujus est, quòd feria secunda tunc non sit dies propria strictè loquendo, sed potius dies quo festum servatur in populo; adeoque officium censi debet translatum, et quidem ultra octo dies; sic ut nihil habeat de octava. Ex his inferes duos tantùm esse casus in quibus officium annuntiationis celebrari debeat cum octava. 1.^o Quando feriâ secundâ post dominicam in albis simul recitatur officium, et festum annuntiationis servatur in populo. 2.^o Quando idem festum cadit infra octavam Paschæ: ubi enim feriatio manet affixa 25 Martii, et officium solum recitatur alterâ dominicæ in albis, tunc diebus residuis ad com-

plendam octavam fit officium de octava, undè si annuntiatio venerit in feriam quartam Paschæ, illius officium habebit tantum tres dies, scilicet, diem festi, septimam et diem octavæ (1).

Quoad ordinationem hujus octavæ, lectiones primi nocturni sumuntur ex Scriptura occurrente. Secundi de octavario Romano, vel successivè ex festo translationis almæ domûs Lauretanæ, expectationis partûs B. Virginis et S. Gabriëlis archangeli, cum responsoriis propriis festi annuntiationis; si tamen sumantur ex officio translationis almæ domûs, nota tertiam secundi nocturni esse terminandam his verbis *fœcundare et caro*. Tertii tandem sumi etiam poterunt ex tribus festis suprâ memoratis, cum responsoriis, ut suprâ propriis (2).

* (1) Octava annuntiationis in iis tantum ecclesiis, et locis, quibus indultum est de ea fieri etiam in quadragesima vel in quibus hujusmodi festum Tituli, vel principis Patronatus honore gaudet, juxta diversas occurrentias peragenda est, quando idem festum in feriam secundam post dominicam in albis transfertur ut sequitur: Si nimirum translatio fiat cum præcepto audiendi Sacrum, integra octava illud gaudere ac si feria illa secunda esset dies propria: si verò quoad chorum tantum, solius scilicet officii translatio fit, nihil agendum de octava, nisi fortè translatio occurrat infra octavam: tunc quippe de ea fieri officium poterit iis tantum diebus, qui de octava supersunt, juxta generales rubricas, prout decretum fuit die 14. Maii 1805 in una Ordinis Carmelitarum, etc. S. R. C. die 22. Martii 1817.

* Equidem feriatio festo annuntiationis B. M. V. annexa hodie suppressa est in omnibus Belgii diocesisibus, et in locis quibus Indultum 9 Aprilis 1802. extenditur; sed SS. D. Pius VII. eam in suppressione legem adjectam voluit: *Ut nihil de consueto divinorum officiorum, sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, quâ hactenus consueverunt.*

* (2) Si fiat integra octava, dum festum annuntiationis trans-

Quæres 2.º pro quo die in diœcesi Leodiensi indulgentiæ concessæ festis annuntiationis et *S. Joseph*, dum eorum festa anticipantur, sit publicandæ? *R.* tum respectu eorum, qui sequuntur usum Leodiensem, tum eorum qui Romanum sequuntur, esse publicandas pro die, quo anticipativè præfata festa celebrantur in populo, quia illis annis, quibus dicta festa anticipantur, dies anticipata censetur dies eorum propria saltem in diœcesi Leodiensi; non autem 25 Martii respectu annuntiationis, nec 19 respectu *S. Joseph*: cum his diebus nihil fiat de illis, nec in officio, nec in populo: porrò constat ex declaratione *S. rituum Congregationis* quòd indulgentiæ alicui diei festivo annexæ non transferantur cum officio (1), sed ipsi festo adhæreant; adeoque certum videtur in praxi, quòd in diœcesi Leodiensi indulgentiæ festo annuntiationis concessæ adhæreant sabbato, in quo populus celebrat illius solemnità cum feriatiōe. Idem sit iudiciū de festo *S. Joseph*.

fertur quoad chorum et forum, vel dimidiata, iis nimirum diebus dumtaxat, quæ ex ea supersunt, dum illud infra Paschatis Octavam occurrit, Lectiones primi nocturni esse debent de Scriptura occurrente: Lectiones secundi nocturni petendas esse ex Octavario Romano pro alio quolibet festo *B. M. V.*: Lectiones demum pro tertio nocturno de Homilia in Evangelium *Missus est*, haberi in festo *S. Gabriëlis Archangeli* vel *Expectationis Partus*, vel translationis *Almæ Domus Lauretanae*: quin imò repeti etiam liberè posse tam in secundo quàm in tertio nocturno Lectiones pro die festo assignatas. *S. R. C.* die 22. Martii 1817.

(1) Translato festo unicè quoad officium, non transfertur indulgentia tali festo concessa. *S. R. C.* 16. Sept. 1741.

ARTICULUS XI.

De officio ultimi tridui hebdomadæ majoris.

I. FERIA IV hebdomadæ majoris post meridiem recitatur, seu cantatur more solito completorium. Quando autem sol tres partes diurni cursûs absolvit, et non antè, recitantur seu cantantur preces matutinæ quæ tenebrosæ dicuntur; tum quòd olim in medio tenebrarum noctis haberentur; tum quòd nunc sub vespera absolvantur.

II. Quamvis officium hujus tridui totum singulare et mysteriis refertum appareat, tamen nihil præ se fert, nisi antiquam divini officii formam, juxta quam incipiebat per psalmos immediatè, quippè in eo non dicebantur *Domine, labia mea*, etc., nec invitatorium, nec psalmus *venite, exultemus*, nec hymnus, nec versus *Gloria Patri* post psalmos. In primo nocturno matutini lectiones sumebantur ex veteri Testamento, in secundo ex SS. PP. et in tertio ex novo Testamento: hanc autem antiquam officii formam sub hoc triduo retinuit Ecclesia, quia illius simplicitas maximè convenit ad plangendam Christi passionem et mortem.

III. Antequam incipiat matutinum, crux velata ponitur in altari, et sex candelabra materiæ obscuræ cum cereis communibus, seu flavi coloris, et præterea nihil; proindèque nec flores, nec reliquiæ, nec imagines sanctorum apponi possunt. Deindè in plano capellæ, ubi solet cantari epistola, paratur candelabrum triangulare

et ligneum cum quindecim cereis, qui præviè ad officium accenduntur, sicut et sex cerei altaris. Post finem cujuslibet psalmi unus extinguitur in triangulo, incipiendo nimirum ab inferiore, et post secundum psalmum procedendo pariter ad inferiorem in alia parte, sicque hinc et indè successivè cerei extinguuntur: sub matutino consequenter novem, et quinque sub laudibus; proindèque superest in summitate unus tantum cereus, qui ardens linquitur in finem officii. Ad canticum *benedictus*, post duos versus primos una in altari extinguitur candela, et post duos alios sequentes iterum una in altera parte altaris; et sic deindè in finem cantici. Dum repetitur antiphona ad *benedictus*, acolythus accipit cereum adhuc in triangulo ardentem, eumque abscondit sub altari in cornu epistolæ. Finitis autem officio et fragore, candela accensa de sub altari profertur et reponitur in summitate trianguli; paulò post autem extinguitur, et candelabrum cum cereis deindè transfertur.

IV. Ut harum cæremoniarum ratio intelligatur, observandum quòd olim dum de nocte matutinum cantaretur, lumen foret necessarium ad officii lectionem; quare in candelabris per chororum suspensis, vel in aliqua trabe cerei dispersi apponebantur ad omnium illuminationem; cum autem officium protraheretur usque in lucem matutinam, eâ proportionem quâ dies elucescebat, paulatim cerei illi extinguebantur: porrò Ecclesia per hos cereos et eorundem successivam extinctionem intendit venerandæ antiquitatis vestigia rememorari; ita plurimi auctores. Hæc luminum extinctio mysticè derelictionem Christi ab apo-

stolis et discipulis repræsentat, vel juxta alios defectionem fidei in Judæis. Lumen sub altari absconditum, Christum in sepulchro jacentem; illius verò revelatio, ejusdem mox futuram resurrectionem significare potest.

V. In fine officii, seu completâ oratione *respice, quæsumus*, superior manu percutit librum aut scabellum, et omnes in choro idem agunt. Hic strepitus est edendus à solis clericis sine risu et absque immodestia; debetque esse levis, ait enim rubrica, *fit fragor et strepitus aliquantulum*. Laïci ergò ad illum concurrere nullatenùs possunt; impediendique sunt pro viribus ab omni petulantia, quæ tanta est in nonnullis ecclesiis, ut ferè scamna confringant.

Olim solus superior librum vel sedem manu percutiebat in signum discessûs: cùm autem populus numerosior officio adesset, tenebatur bis vel iterùm librum seu sedem repercutere, ut audiretur; imò in choro adstantes idem signum multitudini communicare debebant, librum et scamna similiter percutiendo, et hinc est quòd rubrica generaliter jam statuat, ut in choro ab omnibus fiat modicus fragor. Hic spiritualiter significat naturæ commotionem in morte Christi.

Oratio *respice, quæsumus*, etc., hoc triduo dicitur à sacerdote genuflexo (1), ad propiùs imitandum humilitatis Christi exemplum. Conclusio

(1) Ex cærem. Papæ lib. 2. cap. 42. ex cærem. episc. lib. 2. cap. 22, et ex rubricis breviarii Romani, in quo legitur *et omnes surgunt* post orationem scilicet; ergò et sacerdos cum aliis supponitur genuflexus.

orationis dicitur voce secretâ, quâ ratione? ignoratur. Fortè dici posset, quòd cùm celebrans vota fidelium non collegerit per vocem *oremus*, ideò secretò dicat conclusionem, ne eadem colligat per responsum *amen*. Per hanc orationem terminatur hoc triduo officium; adeòque addi non debet oratio Dominica.

VI. Paulò ante completorium, vel saltem ante officium tenebrarum, si Sacramentum sit in majori altari expositum vel reconditum, transfertur ad altare minus, si in aliquo habeatur tabernaculum, ibique ponitur lampas ardens coram SS. Sacramento: in summo autem altari relinquitur ostium tabernaculi apertum, ut omnibus innotescat ibi non adesse sacras Species (1). Quòd si per ecclesiam non sit locus decens ad locandum SS. Sacramentum, linquitur in summo altari, et coram eo lampas ardens; nam infra matutinum nullibi hujus extinctio præcipitur.

VII. Ubi sunt sub hoc triduo preces 40 horarum, sequentia veniunt ibi servanda. Feriâ IV ante officium tenebrarum, removendum est SS. Sacramentum ab altari majori, ac transferendum ad altare paratum pro expositione calicis feriâ V, accendique debent cerei præscripti, qui non extinguuntur infra officium. Feriâ V post communionem missæ recondenda est Remonstrantia, quia expositio calicis cum sacris Speciebus supplet vices Remonstrantiæ. Ad vesperam, si recondatur calix cum corpore Christi, præviè cantari poterunt quædam ex officio temporis, v. g. psalmus *miserere*, *vexilla Regis prodeunt* et simi-

(1) *Merati*, tom. 2. sect. 6. cap. 13. de dom. palm. n. 1.

lia, quibus absolutis, SS. Sacramentum recondatur absque benedictione populi cum illo. Feriâ VI, dum tollitur calix ab altari, substituatur ibi pyxis coöperta vel Remonstrantia velata. Ad vesperam fiat ut heri Sabbato sancto, exponatur in eodem parvo altari Remonstrantia velata: ad hymnum angelicum infra missam velum tolli potest, et post missam SS. Sacramentum transferri poterit ad altare majus.

ARTICULUS XII.

De feria V. in cæna Domini.

I. HÆC feria omni tempore fuit in Ecclesia celebris: 1.º Quia hâc die peccatorum reconciliatio olim agebatur modo sequenti: pœnitentes ante missam ad fores ecclesiæ se sistebant induti sacco et cilicio, ac capite consperso cineribus, certisque cum ceremoniis in ecclesiam introducebantur, ubi, ipsis prostratis, episcopus cum suis clericis super eos preces, de quibus in ord. Rom., fundebat; tum præviâ exhortatione, illos absolvebat; absoluti autem cum fidelibus sedebant, et sacrâ Synaxi reficiebantur. Hujus reconciliationis vestigia quædam in nonnullis particularibus liturgiis supersunt, et notanter in Leodiensi, juxta quam episcopus ante missam recitat psalmos pœnitentiales, cum collectis et precibus.

2.º Ad hujus diei celebritatem concurrebat Imperatorum indulgentia erga captivos, quos à vinculis solvebant; excitati quippè benignitate Ecclesiæ erga peccatores, ad omnes provincias

litteras mittebant, ut è carceribus liberarentur : id discimus à *S. Chrysostomo* (1), *S. Eligio* (2), et capitularibus *Caroli magni* (3), præterea *S. Augustinus*, *S. Leo*, et plures alii Patres de eadem gratia sub diebus Paschæ loquuntur. Hæcque praxis nondum est totaliter extincta; nam in quibusdam locis uni saltem, vel alteri captivo libertas conceditur.

3.º Et maximè hanc diem commendat institutio sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ in ea recolitur. Olim præter officium cœnæ Domini, nullum aliud huic mysterio recolendo dicabatur. Ast cum satis obscure infra hebdomadam majorem, ob tempus pœnitentiæ festum præsens agatur, *Urbanus IV* aliud totius urbis et orbis solemnissimum erexit quotannis celebrandum feriâ V post octavam Pentecostes, de quo postea.

Tandem hæc feria illustratur lotionem solemnem pedum, quæ et *mandatum* dicitur ob antiphonam, quæ incipit per *mandatum*, vel potius ob præceptum Domini his verbis conceptum : *mandatum novum do vobis*, quodque sub præsentis cæremonia refertur. His accedit benedictio solennis oleorum; hæc enim die episcopus, assistentibus sibi presbyteris, consecrat chrisma in administrationem sacramentorum baptismi, confirmationis, et ordinis, necnon in consecrationem altarium, vasorum sacrorum, etc., simulque benedicit oleum olivæ ad inungendos infirmos.

Circa benedictionem olei infirmorum, moveri hic potest quæstio practica, an scilicet benedictio episcopi essentialiter requiratur ad materiam ex-

(1) In psalmum 145. (2) Serm. 10. (3) Lib. 6. cap. 106.

tremæ unctionis constituendam ? Sic communiter existimant theolôgi, sed abrepti potius auctorum numero, quàm solidâ ratione ; undè cum paucioribus tenendum existimamus benedictionem episcopi esse merè accidentalem respectu materiæ extremæ unctionis : quia (1) simpliciter legitur *ungentes eum oleo*, nullâ factâ mentione benedictionis. Equidem Florentinum in decreto unionis, et Tridentinum de extrema unctione (2) dicunt materiam hujus sacramenti esse *oleum ab episcopo benedictum*. Verùm hæc concilia præcisè involvunt cum materia essentiali aliquid accidentale sub gravi requisitum, scilicet benedictionem. Quòd autem nihil aliud intendant citata concilia, patet ex usu generali totius Ecclesiæ Græcæ, juxta quem simplices sacerdotes benedicunt oleum, toties quoties Sacramentum extremæ unctionis administrant. Huncque usum approbavit *Clemens VIII* in sua instructione ad episcopos Latinos anno 1695, ubi ait : *non sunt cogendi presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab episcopis Latinis diæcesanis accipere, cum ejusmodi olea ab ipsis in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur seu benedicantur*. Hanc autem esse conciliorum mentem eò majori fundamento asseritur, quòd Florentinum habitum fuit pro instructione Græcorum, apud quos constat benedictionem olei ab episcopo non requiri ad valorem extremæ unctionis, adeòque dicens oleum ab episcopo benedictum esse materiam extremæ unctionis, solùm designavit necessitatem præcepti pro Latinis.

(1) Epist. *Jacobi*, cap. 5. (2) Sess. 14, cap. 1.

His igitur attentè consideratis, sequitur hanc sententiam, si non sit omninò certa, esse valdè probabilem; adeòque in casu necessitatis in praxi tutam: hinc sacerdos non habens oleum benedictum administrare debet hoc Sacramentum infirmo morienti cum oleo profano, quod pro reverentia Sacramenti, si temporis ratio ferat, benedicere poterit formâ benedictionis olei, quæ in missalibus et ritualibus ponitur, vel saltem signo crucis. Quòd si infirmus supervivat, ad majorem securitatem sub conditione reiterandum est Sacramentum cum oleo ab episcopo benedicto.

Nec obest hoc Sacramentum non esse necessitatis, sed utilitatis tantùm; adeòque facilè non esse exponendum periculo profanationis. Equidem non est absolutæ necessitatis, sed magna illius utilitas ad hoc sufficit; nam si liceat dare extremam unctionem infirmo sensibus destituto, et cujus dispositiones sunt dubiæ cum periculo profanationis; quidni liceret eam exponere in casu dubiæ materiæ (1)?

Rursùs circa materiam extremæ unctionis notari debet, quòd post benedictionem olei novi, vetus comburi debeat, ac cineres in sacrarium projiciendi sint. Hoc tamen moraliter intelligendum venit: undè distantes ab ecclesia cathedrali uti possunt veteri, quamdiu novum non receperunt. Ast post novi receptionem, gravis foret culpa veteris usum facere.

(1) Vix unquam uterer oleo communi, cum usus ejusdem toti Ecclesiæ ignotus videatur. Vix, inquam, quia si infirmus nec dare potuit, nec unquam dedit signa pœnitentiæ, censeant plurimi, in hac extrema necessitate adhiberi posse oleum ab episcopo non benedictum Ita Cont. Tournelii ex Paulo à Lugduno.

§. I.

De cæremoniis missæ in cæna Domini.

I. ALTARE hâc die paratur in albis, et quidem ornamentis pretiosis; sed cùm color albus soli missæ debeat, ubi recitantur parvæ Horæ, antependium altaris album tegi debet alio coloris violacei, quod facilè auferatur ante missam. Quoad altaria minora, in illis linq̄i possunt antependia violacei coloris. Præterea super patenam calicis duo panes consecrandi formæ majoris apponendi sunt.

II. Absolutis parvis Horis voce remissâ et sine cantu, celebrans et ministri procedunt ad altare more solito. In missa hujus diei omittuntur psalmus *judica* et versus *Gloria Patri* ad introitum et *lavabo*. In ea cantatur hymnus angelicus, et ad illius intonationem pulsantur omnes campanæ et organa usque in finem ejusdem hymni, et deinceps silent usque ad intonationem dicti hymni in missa sabbati sancti. Hoc campanarum silentium exprimit mœrorem fidelium ob Christi passionem et mortem: vel juxta *Rupertum* (1), indicat populo silentium, seu quòd ab omni profana exultatione abstinere debeat. Mysticè etiam significat apostolorum silentium (2); apprehenso enim Christo, laudem divinitati ejus non dederunt.

Pariter campanula non est pulsanda ad *Sanctus*, nec infra consecrationem. Utrùm verò ad sonum

(1) Lib. 5. cap. 29.

(2) *Durandus*, lib. 6. cap. 72. n. 5.

illius supplendum fieri possit modicus fragor cum instrumento ligneo ? Quidam affirmant, eâ ratione ut adstantium attentio excitetur. Alii negant (1) eò quòd talis fragor sit inconcinnus, et aliundè populus his diebus supponatur sacris mysteriis sufficienter attentus. Similis praxis invenitur in instructione clementina pro precibus 40 horarum; juxta quam pendentibus his precibus, campanulæ non sunt pulsandæ infra celebrationem missarum.

III. In hac missa dicitur symbolum, danturque in ea *communicantes*: *hanc igitur oblationem*: et *qui pridie quàm* propria. Pax hodie non datur in detestationem, inquit *Alcuinus*, osculi Judæ: undè dictis *agnus Dei*, ministri locum mutant, seu diaconus transit ad sinistram celebrantis, et subdiaconus ad dexteram, præstando genuflexionem in termino à quo et ad quem.

IV. Sumpto sanguine, diaconus præviâ genuflexione transit ad latus dextrum, seque locat inter celebrantem et subdiaconum. Interea accedit aliquis cum calice vacuo, sed coöperto pallâ, patenâ et velo pretioso albi coloris, illumque deponit inter manus diaconi, qui mox illum discoöperit; tum factâ ab omnibus genuflexione, illum sustinet coram celebrante, qui manu dexterâ immittit in eum hostiam consecratam. Deposito calice, iterùm renovatur ab omnibus genuflexio. Deindè recedente paululùm celebrante è medio, accedit diaconus, et super calicem primò ponit pallam, secundò super eam patenam in-

(1) *Tornellius à Portu*, *Bauldry*, quibus adhæret *Merati*, p. 4. tit. 8. de feria V. n. 4.

versam, et tertio velum, calicemque deinde locat in medio corporalis, sed versus altare, ut locus sit pro sacra pyxide.

V. His ita dispositis, fit communio generalis more ordinario, sed ordine sequenti. 1.º Distribuitur ministris servientibus, 2.º sacerdotibus indutis stolâ pendente ante pectus, 3.º aliis clericis, et 4.º laicis utriusque sexûs.

VI. Post communionem, celebrans et ministri missam absolvunt, advertendo quòd flectere debeant, quotiescumque accedunt ad medium altaris vel ex eo discedunt; ac celebrans, dum se vertit ad populum, exire debet paululùm è medio. Idem post populi benedictionem non facit circulum integrum, et ad hæc verba evangelii *S. Joannis, initium*, etc. non signat altare, sed seipsum tantùm: si tamen in altari sit tabella cum evangelio, præviè ad sui signationem prima verba evangelii signare debet (1). Tandem dicens: *et verbum caro factum est*, se paululùm vertit ad Sacramentum.

§. II.

De processione hujus diei.

I. ANTE processionem parari debet locus pro collocando SS. Sacramento. Non est necesse, ut hic locus sit altare; imò rubricæ videntur contrarium supponere; adeòque in aliquo ecclesiæ angulo erigi potest mensa sequentibus instructa: 1.º tegi debet tribus mappis et antependio colo-

(1) Ita *Merati ex Bauldry*, p. 4. tit. 8. de feria V. n. 8.

ris albi, ac super mensam parari debet bursa cum corporali. 2.^o Apponi debent sex ad minimum candelabra cum cereis, quoad fieri potest, albis. 3.^o Super ea in medio candelabrorum apponatur capsula interiùs exteriùsque decenter elaborata, et quæ clavi obserari possit; hoc enim apertè supponit S. R. C. (1) ad recondendum calicem, sic ut non objiciatur oculis fidelium. Præterea locus ille, seu capella ornari potest floribus et imaginibus, non tamen sanctorum reliquiis; ac circumdari potest velis seu tapetibus albis, nullatenùs nigris: quia Christus in Sacramento non est mortuus, sed vivus; quare locus ille admodum improprie sepulchrum Christi dicitur (2).

II. In his partibus contra dispositionem decreti citati, communissimè calix cum sacra Hostia patenter exponitur; sed tunc ad minimum ardere debent in capella sex cerei, et ne Sacramentum desertum maneat, continuò sibi succedere debent duo adoratores, vel si possibile sit, etiam plures. Ubi autem de nocte excubiæ non aguntur coram calice, sub vesperam recondi debet in tabernaculo clauso ab aliquo sacerdote. Ante hanc Sacramenti repositionem cantari possunt

(1) Clavis hostiæ repositæ in feria V cœnæ Domini, non debet dari laïco, quantumvis nobili. 30. Januar. 1610.

(2) Locus in quo hodie usque in crastinum reponitur Christi corpus, abusivè à vulgo sacrum sepulchrum appellatur, et non benè pannis nigris adornatur: quia Christus nondum mortuus repræsentatur, sed quasi thronus ipsi erigitur, in quo tota sequenti nocte à christianis adoratur et honoratur, quando à Judæis maximis opprobriis est affectus: sequenti autem feriâ sextâ, cum mortuus repræsentetur, color niger ritè adhibetur. *Burius* in onomastico.

quidam psalmi vel hymni de tempore, sed populus absque benedictione est dimittendus : crastinâ verò die ante officium, si calix fuerit translatus ad summum altare, reponendus est in capella.

III. His positis, post missam celebrans et ministri redeunt in sacristiam, ubi deponunt omnes manipulos, et ultrâ celebrans casulam, ut pluviali albo induatur, hoc tamen deficiente, casulam retinet. Accedunt deindè ad altare, et si celebrans indutus sit pluviali, medius inter ministros incedit : si verò casulâ, sequitur diaconum. Cùm pervenerint ad gradus altaris, in infimo flectunt duobus genibus, et omnes simul caput SS. Sacramento inclinant : surgunt deindè, et thure imposito absque benedictione et sine osculis, sacerdos genuflexus cum ministris ter incensat SS. Sacramentum, ministris hinc et inde partes anteriores pluvialis elevantibus, et caput ante et post incensationem cum sacerdote inclinantibus. Dimisso thuribulo, celebrans induitur humerali perpulchro et coloris albi, ac præviâ capitis inclinatione ascendit simul cum diacono, et subdiacono, flectitque cum hoc ultimo in gradu superiori, seu in scabello altaris; interim diaconus, factâ genu unius flexione, accipit calicem, versusque ad sacerdotem per sui sinistram, illum ei porrigit genuflexo (1) : accipit autem sacerdos dictum calicem manu sinistrâ per nodum ma-

(1) Hic ritus insinuatur in rubricis missalis Rom. sub feria V. in cœna Domini, et clariùs refertur in cœrem. episc. cap. 23. de officio et missa dictæ feriæ V, ac ita tradunt *Merati*, tom. I. p. 4. tit. 8. n. 10. *Bissus* et *Bauldry*, necnon alii.

nubrii, et dexteram ei superimponit, moxque diaconus utrâque extremitate humeralis calicem et manum celebrantis coöperit; postea diaconus flectit coram SS. Sacramento uno genu, et celebrans erectus ascendit in scabellum altaris, ubi facie versâ ad populum stat, donec procedat, ut infrâ dicitur.

IV. Processio ad capellam ordinatur modo sequenti: 1.° Incedit subdiaconus albâ et dalmaticâ indutus, portans crucem; et, ubi adsunt, ad latera illius procedunt duo ceroferarii. 2.° Sequuntur laïci cum facibus bini et bini (1). 3.° Clerici et juniores primi. 4.° Cantores. 5.° Thuriferarius: duo adhiberi debent hâc die, ubi datur copia, et in hoc casu celebrans in utrumque thuribulum thus imponit sine illius benedictione, sed solùm cum thure secundò imposito Sacramentum incensat. 6.° Celebrans sub baldachino seu umbella, ubi commodè fieri potest. 7.° Diaconus à dextris celebrantis; et subdiaconus ministrans à sinistris illius, elevantes fimbrias pluvialis anteriores. 8.° Præsules et magnates, sic ut digniores immediatiùs sequantur SS. Sacramentum. 9.° Tandem incedunt fideles masculi et feminæ.

V. Antequam procedatur, cantores intonant *Pange lingua*, et absolutis duobus versibus primæ strophæ, seu sub his verbis, *sanguinisque pretiosi*, incipit crucifer incedere, tenditque ad capellam per viam longiorem. Quòd si hymnus

(1) Quidem tenent laïcos cum facibus debere crucem præcedere, sed cùm circa hoc sileat rubrica, et praxis videatur contraria, hæc retineri potest.

fortè non sufficiat, retentis duabus ultimis strophis, scilicet, *Tantum ergo* et *Genitori*, ut cantentur sub incensatione Sacramenti, quædam resumuntur strophæ præcedentes. Dum crux pervenit ad certam à capella distantiam, ipsâ propiùs procedente ad capellam, hærent in via primi qui ferunt faces, et constituunt lineas, quas replent alii successivè sequentes; ita digniores locum inveniunt propè capellam: in medio utriusque lineæ transeunt cantores, thuriferarius, celebrans et ministri, et ad præsentiam Sacramenti omnes flectunt duobus genibus, caputque ei inclinant facie versâ ad illud: ut autem transivit celebrans, faciem ad capellam convertunt.

VI. Celebrans ingressus capellam, ascendit in altare, ubi stans SS. Sacramentum porrigit diacono flexo duobus genibus (1) in scabello versùs cornu epistolæ: accepto calice, surgit diaconus, et paululùm expectat conversus ad celebrantem, donec hic genu unius flexione SS. Sacramentum adoraverit. Descendente autem celebrante, et flectente ad dexteram subdiaconi, diaconus deponit calicem in altare, ac factâ genuflexione descendit, ministratque (ex cæremon. episcop.) thus celebranti absque osculo sive cochlearis sive manûs terque celebrans genuflexus incensat SS. Sacramentum. Postea diaconus reponit calicem in capsulam, quam obserat, clavemque ab ea tollit, vel si calix sit exponendus publicæ adorationi, prout practicatur in his partibus, illum locat super corporale in loco ad hoc præparato. Ex his colliges non esse dandam benedictionem cum

(1) Rub. miss. Rom. sub feria V in cœna Domini.

calice sive ante, sive infra, sive post processionem.

VII. Calice, ut suprà, deposito, celebrans et ministri, aliique omnes per aliquod temporis intervallum in silentio adorant SS. Sacramentum, ac postea viâ breviori redeunt, ut sequitur: 1.^o inceditthuriferarius, 2.^o crucifer cum ceroferariis, 3.^o celebrans medius inter ministros, alii loca respectivè sua repetunt in choro vel ecclesia.

§. III.

De altarium denudatione.

I. OLIM singulis diebus post divini officii celebrationem altaria nudabantur, et consequenter singulis diebus ante illud vestiebantur (1), sed nunc diu noctuque vestita manent: cum autem maximè conveniat, ut interdum à sordibus purgentur, Ecclesia, ne id ultra annum saltem differatur, determinavit ad hanc purgationem feriam V in cœna Domini, variasque instituit cæremonias ad reddendam hanc denudationem altarium solemnem. Hujus cæremonie plures redduntur rationes spirituales, inter quas hæc primum locum tenet, nempe, quòd præfata denudatio Christi patientis denudationem significet: omnibus quippè notum est altare lapideum repræsentare Christum, qui in evangelio lapis sæpè dicitur; proindèque hæc altarium nuditas rectè Christi flagellati et crucifixi nuditatem adumbrat; huicque sensui concordat psalmus *Deus, Deus meus,*

(1) *Grancolas*, tom. 2. de cæremonia nudandi altaria. (1)

respice in me, qui recitatur infra hanc altarium denudationem, et qui totus est de passione Christi.

II. Finitâ itaque processione, ubi est obligatio officii, recitantur in choro vespere, et interea celebrans et ministri exuunt in sacristia vestes albi coloris, assumitque sacerdos stolam coloris violacei, quam ante pectus adaptat in modum crucis, similiter et diaconus aliam ejusdem coloris ponit sibi transversam, subdiaconus verò manet in albis absque manipulo. Absolutis vespere, et non antè (1), procedunt manibus junctis, et capite tecto unus post alium. Cùm ad gradus altaris perveniunt, birreta demittunt, ac se profundè inclinante celebrante, ministri genuflectunt; tum ad altare ascendunt, ubi celebrans incipit antiphonam *diviserunt*, quam prosequuntur ministri et chorus subjungentes, *sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (2). Ac deindè chorus ita protractè recitat psalmum, ut cum altarium denudatione finiat. Pariter celebrans et ministri eundem psalmum alternatim recitant, interim denudando altaria, ut sequitur. 1.º Celebrans tollit tobaleam superiorem, 2.º inferiores, et 3.º antependium. Relinquuntur in altari crux et sex candelabra. Quòd si in eo adsint alia ornamenta, ab acolytho vel alio auferuntur.

Ut autem faciliùs mappæ tollantur, aliquis præviè debet aciculas ab eis retrahere; quod si factum non fuerit, ministri hinc et indè illas auferunt.

(1) Cærem. episc. lib. 2. cap. 15. §. 15.

(2) *Merati*; p. 4. tit. 8. de feria V. in coena Domini, n. 17.

Denudato summo altari, proceditur ad alia, et ultimò ad credentiam, et in illis eadem renovatur cæremonia. In supposito tamen quòd perplura forent altaria denudanda, poterit alter sacerdos albà et stolà paratus quædam denudare, psalmum prædictum recitando.

III. Ab hac die usque ad missam sabbati sancti exclusivè, omnes transeuntes ante crucem altaris majoris infra vel extra officium flectunt uno genu. Excipitur solus celebrans paratus, seu ministrans in altari, qui ei tantùm caput inclinat (1). Pariter hoc tempore transeuntes ante tabernaculum, ubi asservatur SS. Sacramentum, vel ante calicem cum hostia sacra, flectere debent duobus genibus cum inclinatione profunda capitis. Ratio horum est, quòd his diebus Vexilla Regis prodeant, fulgeatque crucis mysterium; adeòque cruci, et ei qui in ea pependit specialis cultus debeatur.

IV. Denudationem altarium sequitur lotio pedum, quæ in nonnullis locis fit tantùm circa vesperam. Hæc originem ducit ab exemplo Christi, qui non solùm in ultima cœna lavit pedes apostolorum, sed et hujus humilitatis et charitatis actûs præceptum fecit dicendo (2) : *Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me magister et Domine : et benè dicitis : sum etenim. Si ergò ego lavi pedes vestros magister et Dominus : et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Ut tam salubre præceptum non negligetur, anno 644 sancitum fuit in concilio Toletano decimo septimo (3), ut feriâ V in cœna Domini

(1) *Gavantus*, *Merati*, et alii plures.

(2) *S. Joannis*, cap. 13.

(3) Canone 5.

adimpleretur : hanc piam cæremoniam retinuerunt Pontifices, et admiserunt nonnulli reges et principes, qui in memoriam charitatis Christi lavant pedes duodecim pauperum, quos deindè splendidè reficiunt, ac de muneribus et vestibus gratificantur. Hæc cæremoniâ omnibus prædicatur obligatio humiliationis et erga egenos charitatis. Cùm ordinariè in parochiis ob nimiam in his diebus occupationem non observetur, nihil de rubricis illius dicemus. Ubi practicatur, satis erit legere missale Romanum, in quo ritus hujus cæremonie clarè describuntur.

ARTICULUS XIII.

De feria VI in parasceve.

PARASCEVE apud Judæos idem significabat ac præparatio : undè dies præcedens sabbatum parasceve sabbati, seu præparatio ad illud nuncupabatur : dies autem sabbati apud Judæos parasceve habebat, quia pridè tenebantur parare omnes cibos in sabbato consumendos, ne, scilicet eorum coctione et præparatione, diei sanctitatem violarent. Pariter in Ecclesia præcipuè solemnitates habent suum parasceve, quod vigiliam vocamus. Sed hoc est discrimen inter nos et Judæos, quòd hi in parasceve agitentur in coquendis panibus, et aliis cibis parandis pro mensa diei sequentis; nos verò toti detineamur in jejunio et orationibus, ut spiritu ferventes debitum Deo cultum exhibeamus in die solemnè. Hoc ultimo sensu feriâ VI hebdomadæ majoris

dicitur parasceve, nimirum relativè ad solemnitatem paschalem.

Hâc die non offertur in ecclesia missæ sacrificium: idque, juxta S. Thomam 3. p. q. 83. art. 2. ad 2. sancitum fuit, quia non decet ut passio Christi per Eucharistiæ consecrationem mysticè repræsentetur, dum recolitur ab Ecclesia prout realiter peracta est.

Ne tamen Ecclesia penitùs cœlestibus privetur mysteriis, in die parasceves fit missa imperfecta, seu missa præsanctificationum, sic dicta, quia in ea non habetur consecratio, sed tantum sumuntur mysteria præsanctificata, seu pridie consecrata. Talis missa est in usu sat frequenti apud Græcos; diebus enim jejunii abstinent à consecratione; sed nihilominus celebrant speciem cujusdam missæ, infra quam sumunt species aliquo die præcedenti consecratas.

§. I.

De prima parte officii feriæ VI in parasceve, seu de iis quæ sunt agenda in altari usque ad adorationem crucis.

I. ANTE officium hujus feriæ, ponitur crux lignea cum imagine crucifixi velata in medio altaris, sed ita ut velum facilè tolli possit ab ea; nam ea ipsa est quam celebrans detegere debet pro adoratione: sex etiam candelabra materiæ obscuræ cum cereis communibus in altare apponuntur. Præterea tres cussini coriacei seu ex panno coloris violacei, parandi sunt in infimo gradu altaris, ut sacerdos et ministri hinc et indè pro-

strati valeant in eos brachia et caput deponere. Præter hæc, in altare nihil est apponendum. Paretur etiam in presbyterio tapes oblongus, in cuius summitate pulvinus magnus coloris violacei est locandus pro cruce deponenda.

II. Ubi parvæ Horæ in choro recitantur, post Nonam sacerdos indutus manipulo, stolâ et casulâ nigri coloris, diaconus manipulo et stolâ, et subdiaconus solo manipulo; adeoque sine dalmaticis procedunt ad gradus altaris, ubi dimissis birretis se prosternunt in plano capellæ super pavementum, sic ut caput et brachia uniuscujusque quiescant super cussino (1), prostratique permanent spatio unius *miserere mei*, *Deus*, etc., omnes verò in ecclesia genuflexi et capite inclinati, tempore quo ministri jacent prostrati, orant, seu brevem instituunt meditationem de passione et morte Christi. Interea aliquis altare coöperit simplici mappâ, quæ hinc et indè paululum pendeat; adeoque non usque ad terram; deindè super eam in cornu epistolæ apponit pulvinum coloris nigri, et desuper missale apertum.

III. Factâ oratione seu meditatione, ut suprâ, surgunt ministri, et ad altare ascendunt; illudque statim osculatur celebrans, flectentibus ad-

(1) Juxta *Merati* et alios plures, sacerdos et ministri antequam se prosternant, crucem adorant genuflexione, idemque renovant erecti antequam ascendant ad altare. Verùm dici potest, quòd sicuti sacerdos infra missam osculans altare, vel se inclinans in medio, non tenetur crucem salutare, vel potius ipsam salutat cum osculo vel inclinatione: ita in præsentî casu.

lius latera ministris ; tum se sistunt in cornu epistolæ, uti ad introitum missæ. Dum sacerdos incipit legere lectionem, lector, factâ in medio capellæ genuflexione coram ligno crucis, eam cantat in tono prophetiarum. In fine illius non respondetur *Deo gratias*, nec liber defertur ad sacerdotem, nec lector benedicitur, sed finitâ lectione, et renovatâ genuflexione, redit ad locum.

IV. Finito tractu à sacerdote, ministri eunt ad sua respectivè loca retrò post illum, ac cantu cessante, sacerdos extendens et jungens manus cantat *oremus*; diaconus flectendo, ut dictum est art. IV. n. III., subjungit *flectamus genua*, et subdiaconus, ut ibidem, *levate*. Tum sacerdos, manibus extensis, prosequitur orationem, quâ finitâ, mediâ voce, et manibus in librum vel in altare depositis, legit epistolam et tractum. Interea eam cantat subdiaconus more solito, sed in fine hodie non respondetur *Deo gratias*, nec liber defertur ad celebrantem.

V. Cantato tractu, cantatur passio, uti diximus sub dominica palmarum; quibusdam tamen exceptis: nam 1.º non incensatur liber, neque sacerdos. 2.º Sacerdos ante ultimam partem passionis, profundè inclinatus in cornu epistolæ et ad crucem conversus recitat *munda cor meum sine jube, Domine, benedicere*, etc., ibique legit reliquum passionis. 3.º Diaconus, dicto *munda cor meum*, non petit benedictionem, sed surgens redit ad librum. 4.º In fine liber non defertur ad celebrantem, sed simpliciter clauditur à subdiacono.

VI. Post passionem, sacerdos in cornu epistolæ versus ad librum, stantibus ministris in linea

recta retrò post illum, incipit absque capitis inclinatione primam monitionem *oremus dilectissimi*, etc., tenens manus constanter junctas ab initio in finem. Post monitionem, dicens *oremus*, extendit manus, moxque eas conjungit, ac caput cruci inclinat: addit diaconus, ut suprà, *flectamus genua*, et subdiaconus *levate*. Tum sacerdos, extensis manibus usque ad conclusionem, cantat tono feriali orationem. Eodem modo absolvit alias monitiones et orationes, id est, monitiones in tono præfationis ferialis, et orationes tono recto (1). Si sedes pontificia vacet, omittit ea quæ ad Papam spectant. Si sedes Imperatoris,

(1) Ante orationes hac die ponuntur monitiones quibus fideles non tantùm excitantur ad orandum, sed et ipsis præbetur materia orationis.

Post monitionem in gratiam Judæorum, rubrica habet: *non respondetur Amen*. Cùm autem dictum *amen* nec respondeatur post alias monitiones quæri hic potest, ad quid illa rubrica? dico adesse illius rationem hanc specialem: nam cùm hæc monitio concludatur his verbis: *Jesum Christum Dominum nostrum*, quæ usu ordinario trahunt responsum *amen*, ne ex consuetudine seu inadvertentia dicatur, rubrica præcavet positivè dicendo: *non respondetur*.

Ante orationem pro iisdem Judæis, omittitur *oremus, flectamus genua, levate*, quia, inquit *Alcuinus*, Judæi flexis genibus Christo illuserunt.

In tertia oratione hæc verba leguntur: *pro confessoribus*, per quos intelliguntur ii, quibus olim incumberat officium cantandi laudes divinas, quique in hierarchia ecclesiastica speciem cujusdam ordinis constituebant; nunc verò hoc nomine veniunt ii, qui in ecclesia ad officium divinum cantandum sunt deputati: porrò nomen confessoris his datur ex psalmis, ubi sæpè sæpiùs legitur verbum *confiteri*, quod nihil aliud importat quàm dare laudem Deo, ita ut psallere et confiteri sint synonymæ voces.

in oratione pro illo, dicit *oremus et pro Romano imperio, ut Deus, etc.* (1).

§. II.

De secunda parte hujus officii, seu de adoratione crucis.

I. **COMPLETIS** orationibus, sacerdos descendit in planum juxta cornu epistolæ, illucque ministri accedunt, ac deponunt casulam et manipulos (2). Tum diaconus, eum concomitante subdiacono, per viam longiorem, id est, per medium altaris procedit ad tollendam crucem, bisque ad hoc flectit, semel scilicet in inferiori gradu altaris, et iterum in altari coram cruce: acceptam autem crucem sic vertit, ut facies velata populum respiciat, defertque ad sacerdotem per eandem viam, quâ ad altare accessit.

II. Sacerdos stans facie versâ ad populum in inferiori gradu altaris, vel in plano presbyterii, si pauci sint gradus, et habens dexteram contra partem lateralem altaris, accipit crucem, moxque diaconus se sistit ad illius dexteram, et subdiaconus ad sinistram ac coram eis acolythus sustinens missale apertum; tum sacerdos tenens crucem ante pectus discooperit illius summitatem, ita tamen ut imago crucifixi nullatenus appareat, interea cantans voce demissâ, sed gravi: *ecce lignum crucis*, et prosequuntur ministri cum eo

(1) *Halden*, p. 1. tit. 20. sec. 5. de Sabb. Sanct. et *Macrius* in hierolexico litt. c. V. cereus paschalis.

(2) In adoratione crucis feriâ V. in parasceve debent celebrans et ministri deponere etiam manipulos. S. R. C. 15. Sept. 1756.

in quo salus mundi pependit. Respondet chorus *venite, adoremus*, sub quibus ultimis verbis, omnes præter celebrantem in ecclesia flectunt duobus genibus, seque parùm vertunt ad crucem. Ut ministri per modicissimum tempus crucem adorerunt, surgunt et ascendunt cum celebrante. Celebrans ergo, erectis ministris, se constituit in extremitate suppedanei altaris, sic ut renes habeat contra cornu epistolæ, ibique discooperiens brachium dextrum crucis, et simul caput imaginis crucifixi, elevansque paululùm vocem et crucem, repetit : *ecce lignum crucis*, prosequuntur, ut suprâ, ministri *in quo*, etc., et fit adoratio crucis, ut antè. Accedit tandem sacerdos ad medium suppedanei, et stans juxta extremitatem versùs gradus, detegit totam crucem ac velum dimittit diacono, et hic acolytho; interim elevans adhuc vocem et crucem usque ad faciem, cantat *ecce lignum*, et totum fit ut suprâ. Post quamlibet adorationem surgit populus, et dum cantatur *ecce lignum crucis*, etc., omnes intendunt oculos in crucem, flectuntque præcisè sub his verbis *venite adoremus*.

III. His peractis, sacerdos non comitatus à ministris (hi enim flectunt duobus genibus in suppedaneo altaris, facie versâ ad populum), crucem defert ad locum paratum in presbyterio ante altare et flexis duobus genibus eam deponit super pulvinum. Sub hac translatione crucis omnes in choro et in ecclesia manent genuflexi, excepto acolytho, qui mox ut crux est denudata, denudat omnes cruces altarium, non tamen alias imagines velatas.

IV. Sacerdos redux ad sedem in presbyterio paratam deponit calceamenta, et procedit capite detecto, manibus junctis ac demissis oculis, seque constituit in certa à cruce distantia, flectitque duobus genibus, et inclinato capite (1) adorat S. crucem, his vel similibus verbis mente vel ore secretò prolatis: *adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Incedit deindè, et in loco medio inter primam adorationem et crucem genuflexus idem agit, ac tertio genuflexus ante crucem, et factà adoratione ut aliis vicibus, osculatur non faciem crucifixi, non manus, non latus, sed ex humilitate solos pedes. Accedunt deindè diaconus et subdiaconus, et sic ordinatè ut dum sacerdos facit tertiam adorationem, secundam faciat diaconus, et primam subdiaconus. Postea sequitur clericus (2), et tandem laïci omnesque præviis tribus adorationibus sub his verbis tertio repetitis, *adoramus te, etc.*, pedes tantùm crucifixi osculantur. Si tamen præsul adesset, immediatè post sacerdotem crucem adoraret. Ab initio adorationis in finem, cantantur à choro impropèria, ut in Graduali.

V. Sacerdos, osculatà cruce, redit ad sedem, calceosque resumit: tum, si sordes contraxerit, manus lavat; idemque faciunt ministri, si fortè calceos deposuerint ad adorationem. Lotis manibus, sacerdos induit manipulum et casulam, pariter et ministri manipulum. Postea sedentes

(1) Usque ad terram, ait *Merati*, sed de hoc silet rubrica.

(2) Idem auctor tenet ministros et saltem seniores è clero deponere calceos, sed missale loquitur de solo celebrante. Hæc tamen sententia laudabiliter adoptari potest.

in presbyterio, voce remissâ et tecto capite recitant impropria et alia quæ in missali habentur, librum sustinentibus hinc et indè ministris, vel meliùs eum tenente acolytho.

Ubi est magna populi multitudo, ad accelerandum finem adorationis, apponi potest secunda crux adoranda.

VI. Circa finem adorationis, quæ si diuturnior prævideatur, dum sunt duæ cruces adorandæ, una tolli potest, vel juxta *Gavantum*, si una tantùm, substitui tunc potest alia, sed in loco ubi frequentia populi nec processionem, nec officium impediât. Diaconus, detecto capite, et salutato sacerdote, accipit bursam (albi puto coloris, ut respondeat velo calicis) cum corporali, et desuper purificatorium, ac inter digitos cochlear parvum, quibuscum procedit ad altare, ibique è bursa accipit corporale, bursam locat erectam in cornu evangelii, corporale extendit, et tum prope illud in cornu epistolæ locat purificatorium et cochlear. Interea ab alio ponitur in cornu evangelii missale apertum; diaconus verò, illis in altari dispositis, sine genuflexione vel inclinatione ab altari discedit (1), et si nondum cessaverit adoratio, redit ad celebrantem, quem salutât capitis inclinatione, antequam se deat. Si autem adoratio cessaverit, ex altari immediatè tendit ad crucem, sed transiens ante celebrantem, ad eum se totaliter vertit, eumque salutât, ut suprâ. Ante crucem constitutus, præviâ genu unius flexione, eam accipit, ac te-

(1) Supponitur corpus Christi non esse in tabernaculo: si enim ibi adesset, diaconus teneretur ad ordinarias reverentias.

nens duabus manibus, facie crucifixi ad altare versâ, defert et deponit in loco ubi erat prius, id est, in medio candelabrorum altaris. Ad crucis transitum sacerdos et omnes ad quorum conspectum se offert, flectunt uno genu. Depositâ cruce, diaconus flectit etiam uno genu, et redit ad celebrantem.

§. III.

De tertia parte, seu processione.

I. **COMPLETA** adoratione, aut saltem sublatâ cruce, cum alterius substitutione, fit processio ad locum ubi repositus est calix cum Hostia consecrata: porrò ordo sequens in illa servatur: 1.º incedunt duo cum thuribulis absque thure. In ecclesiis minoribus sufficit unus. 2.º Subdiaconus indutus albâ tantùm cum cruce detecta. Deficiente subdiacono, acolythus vel alter similiter indutus suppleat: ad hujus latera etiam incedunt duo acolythi ferentes candelabra cum cereis accensis. 3.º Clerici, si adsint, manibus junctis. 4.º Feres ferentes. 5.º Cantores. 6.º Subdiaconus ministrans. 7.º Diaconus. 8.º Sacerdos ministrans. Hi tres incedunt unus post alium, capite tecto et manibus junctis, sed appropinquantes ad capellam, si calix sit patenter expositus se detegunt. Interea unus accendit cereos in altari majori; proindèque officium ad præsens tempus celebratur sine lumine.

II. Crucifer incedens per viam longiorem stat in sufficienti distantia à capella, ut prior in recessu incedere valeat, sed ad capellam procedunt

thuriferarii, et deindè omnes alii hærent hinc et indè, constituuntque duas lineas à cruce ad capellam, sic ut clerici juniores stent juxta crucem, et seniores ac faces propiùs accedant ad capellam. Intrà lineas procedunt cantores et se sistunt prope cancellos, si dentur, capellæ, sequuntur ministri et sacerdos, cui transeunti omnes caput inclinant.

III. Ut ingressi sunt sacerdos et ministri capellam, flectunt duobus genibus in gradu inferiori, et caput Sacramento inclinant, si sit expositum, moxque diaconus ascendit, et præviâ genuflexione Sacramentum in altare deponit supposito corporali; descendit deindè renovatâ genuflexione, ac flectit duobus genibus ad latus sacerdotis: tum præviâ capitis inclinatione surgunt, et sacerdos, ministrante diacono sine osculis, thus immittit absque illius benedictione in duo thuribula, si adsint, et incensato ter calice cum secundo, sacerdos induitur humerali albo; tum ascendit cum subdiacono et cum eo genuflexus in scabello altaris, recipit à diacono calicem sinistrâ per manubrium infra cuppam, et ei superimponit dexteram. Diaconus, dimisso celebranti calice, utrâque humeralis extremitate tegit calicem simul et manum ei superimpositam, ac deindè factâ coram Sacramento genuflexione, se sistit et stat ad latus celebrantis ex una parte, et ex altera subdiaconus, donec sacerdos incipiat incedere.

IV. Ut sacerdos ascendit, accepto calice, cantores genuflexi intonant hymnum *Vexilla Regis procedunt*, et ut diaconus dimisit calicem inter manus sacerdotis, crucifer incipit redire per viam longio-

rem, hunc sequuntur alii ordine quo venerunt; quibusdam tamen exceptis; nam imprimis thuriferarii immediatè præcedunt celebrantem continuo incensantes à dextera in sinistram, deindè sacerdos incedit medius inter diaconum et subdiaconum, recitatque alternatim cum illis hymnum *Vexilla Regis*, diacono librum tenente, si opus sit, coram eo.

§. IV.

De quarta parte, seu communione.

I. SACERDOS ad altare reversus dimittit calicem diacono genuflexo ante gradus altaris in cornu epistolæ, adoratque utroque genu flexus Sacramentum cum profunda capitis inclinatione, diacono erecto; tum hic ascendit et deponit calicem in corporale, genuflectit, descendit, nec denuò genuflectit; interim sacerdos deponit humerale, et descendente diacono, surgit et thus imponit in unum tantum thuribulum, idque sine illius benedictione et absque osculis ex parte diaconi, terque calicem incensat genuflexus.

II. Incensato calice, ascendit ad altare cum ministris, flectuntque omnes in accessu, ac subdiaconus statim transit ad dexteram diaconi; hic interim tollit velum è calice, deponit patenam in corporale et postea pallam in altare. Tum resumit patenam, eamque tenet ambabus manibus paululum intrà corporale elevatam, donec scilicet sacerdos in eam deposuerit sacras Spe-

cies : hoc autem præstare debet sacerdos , non ope digitorum , aliàs eos abluere teneretur , et ablutionem sumere cum purificatione , sed invertendo calicem super patenam.

Hostiâ è calice depositâ , calicem locat in medio corporalis , et accipit à diacono patenam , è qua mox dimittit Hostiam in corporale absque prævio signo crucis. Interea diaconus tenens calicem ab altari elevatum ob particulas in eo fortè residuas infundit vinum et deindè subdiaconus aquam absque illius benedictione ; tum diaconus omissâ calicis abstersione cum purificatorio ob dictas particulas , illum offert sacerdoti , qui simpliciter absque cruce eum locat retrò post Hostiam , statimque à diacono pallâ coöperitur. Hic adverti debet quòd diaconus neque patenam , neque calicem , neque manum celebrantis osculetur. Subdiaconus post aquæ infusionem in vinum , transit ad sinistram flectens in termino à quo et ad quem.

III. Post recessum subdiaconi , accedit thuriferarius , et ministrante diacono sacerdos ter injicit thus non dicens orationem *per intercessionem*, etc., nec signans thus impositum. Accepto thuribulo genuflectit , et ter incensat calicem et Hostiam in modum crucis , terque oblata circuit more solito dicens *incensum istud* , etc., ac interea diaconus manu dextrâ tangit pedem calicis , et sinistrâ elevat casulam. Deindè sacerdos factâ genuflexione uno circiter passu recedit ab altari , et stans absque prævia capitis inclinatione ter crucem , non Sacramentum , incensat , recitans psalmum *dirigatur , Domine* , etc., quem prosequitur incensando altare more ordinario. In fine reddens

thuribulum dicit *accendat in nobis*, nec ipse incensatur.

IV. Dimisso thuribulo, descendit è gradibus, et in plano lavat manus nihil dicens; ministri autem redeunt ad stationes suas, nempe subdiaconus ad locum ubi solet epistola cantari, et ante illum diaconus, sacerdos autem abstersis manibus redit ad medium, ubi factâ genuflexione manus junctas deponit in altare, et mediocriter inclinatus dicit voce mediâ (1) *in spiritu humilitatis*, etc.: in fine osculatur altare in medio, et factâ genuflexione se vertit ad populum, ac constitutus parùm extra medium altaris dicit voce mediâ *orate, fratres*, cui non respondent ministri *suscipiat*, et addens secretò *ut meum ac vestrum sacrificium*, etc. (2): non perficiens circulum se ad altare revertit, moxque flectit unâ cum diacono, qui deindè ascendit ad sinistram sacerdotis. Hic statim ut est à genuflexione erectus, manus jungens et caput Sacramento inclinans cantat *oremus*. Incipiens *Pater noster*, extendit manus more solito. Diaconus ad hæc verba *Pater noster* flectit et ad locum redit. Dicto *et ne nos inducas in tentationem*, sacerdos sustinet manus extensas, et post *sed libera nos à malo*, voce secretâ subjungit *amen*, ac prosequitur manibus extensis in cantu feriali *libera nos, quæsumus*, etc. Infra hanc orationem non se signat cum patena, sed solùm caput inclinat versùs librum ad nomen *Mariæ*, et ad SS. Sacramentum sub nomine

(1) Cær. episc. lib. 2. cap. 26. n. 19.

(2) Hæc cæremonia dicitur sacrificium respectivè ad missam dici præcedentis, cujus est consummatio.

Jesu. Responso *amen* à choro, flectit uno genu. Erectus, ope indicis sinistri pellit Hostiam in patenam, quam deindè sic locat ut pars posterior innitatur pedi calicis: moxque recipit inter pollicem et indicem dexteræ sacram Hostiam; tenens autem patenam sinistrâ corporale innixâ paulò extra medium, et ita ut pollex et index sint in parte concava patenæ, et alii digiti infra, reverenter elevat Hostiam ultra caput, cavens ne sub elevatione exeat è limitibus corporalis. Patena ergò non debet elevari simul cum sacris Speciebus, prout nonnulli erroneè practicant. Post sufficientem Hostiæ elevationem, sacerdos eam modestè demittit, et immediatè declinat ad ostium calicis, ac more solito dividit in tres partes nihil dicens, ultimamque seu parvam sine cruce immittit in vinum, quod hâc commixtione non consecratur, sed solùm sanctificatur. Quòd si solus sacerdos sit in altari, demittens Hostiam post illius elevationem, patenam deponit in corporale versùs librum, et sinistrâ tollit pallam è calice, quam locat extra corporale prope cussinum missalis.

V. Ministri ad elevationem Hostiæ hinc et indè flectunt in superiori gradu seu suppedaneo: non tamen hodie elevant casulam, sed manibus junctis, et inclinato capite adorant SS. Sacramentum. Ut sacerdos demittit Hostiam post illius elevationem, surgunt ministri, et se sistunt ad latera celebrantis, moxque diaconus tollit è calice pallam, et deindè suam facit unà cum subdiacono genuflexionem. Immissâ autem particulâ in vinum, diaconus rursùm calicem coöperit. Hodie non est incensandum ad Hostiæ elevationem.

VI. Post vini et Hostiæ commixtionem, sacerdos et ministri genuflectunt, transitque diaconus ad sinistram, et subdiaconus ad dexteram, renovantque in accessu genuflexionem. Interim sacerdos manus junctas deponit in altare, et mediocriter inclinatus, secretò dicit solam orationem *perceptio*, quâ finitâ flectit cum ministris, et dicit, *panem cœlestem*, etc. Erectus sumit Hostiam more solito, id est, præmittens, *Domine, non sum dignus*; et *corpus Domini nostri* cum signo crucis. Sumpto Christi corpore, sacerdos deponit manus in pedem calicis, et palla tollitur à subdiacono; tum omnes genuflectunt, et sacerdos collectis in silentio particulis, iisque in calicem immissis, supponens patenam absque signo crucis, reverenter sumit particulam Hostiæ et vinum. Infra utramque communionem se profundè inclinant ministri. Post horum sumptionem sacerdos deponit calicem, eumque accipit utrâque manu per cuppam, et factâ cruci capitis inclinatione recipit purificationem cum vino et aqua, nihil recitans. Hodie omittitur purificatio cum solo vino, vel potiùs jam acta est in prima calicis sumptione. Hâc purificatione sumptâ, sacerdos os purificatorio abstergit, et deindè semel fundum calicis, ac postea eum dimittit subdiacono exactiùs abstergendum. Tum junctis manibus ante pectus, et non super altare, mediocriterque inclinatus, dicit secretò, *quod ore sumpsimus*, etc.; postea erectus stat manibus junctis in pia meditatione. Interim diaconus claudit librum, et subdiaconus abstergit ac vestit calicem (1), quem deindè præviâ genuflexione defert ad

(1) *Merati* tenet subdiaconum debere ad vestiendum cali-

credentiam vel sacristiam. Dum ad altare rediit subdiaconus, celebrans caput cruci inclinatur, et interea flectunt ministri. Pariter extra gradus altaris ministri renovant genuflexionem, tempore quo sacerdos profundè se inclinatur : deindè tecti redeunt in sacristiam.

Quæres an hodie sacerdos rediens ex altari teneatur recitare canticum trium puerorum *benedicite*? R. negativè : quia rubrica præcipiens dicti cantici recitationem pertinet tantùm ad veram et propriè dictam missam, proindèque non afficit officium hodiernum : undè sacerdos hodie pro sua devotione potest illud recitare, vel alias preces illi substituere.

ARTICULUS XIV.

De sabbato sancto.

In veteri Testamento sabbatum incidens in festa Paschalia, dies sabbati magnus valdè dicebatur. Idem in nova lege speciali titulo sanctitatis decoratur, seu *sabbatum sanctum* dicitur; idque juxta *Durandum* (1), quia hâc die catechumeni baptismo sanctificantur. Hoc sabbato olim sacrificium non offerebatur, nequidem imperfectum per missam præsanctificatorum : nam officium incipiebat solum ad vesperam ipsius sabbati, et protrahebatur in noctem dominicæ sequentis, sic ut missa cele-

cem transire ad cornu evangelii, sed, ut videtur, sine fundamento; equidem in omni missa ibi vestitur, sed quia datur impedimentum in cornu epistolæ, in quo liber locari debet et communio legi, quæ hodie non militant.

(1) *Durandus*, lib. 6. cap. 78. n. 1.

braretur progresso jam die naturali dominicæ : undè in præfatione hodiedum dicitur *in hac potissimum nocte*, et in canone, *noctem sacratissimam*. Paulatim autem tempus hujus officii fuit anticipatum, donec tandem sabbato manè fuerit cum missa celebratum.

Ante officium parari debet altare in albis, et ornamentis quidem pretiosissimis, sed antependium apponi debet aliud violacei coloris; quod facilè auferri possit ante missam. Insuper erigi debet mensa extra portam majorem ecclesiæ, vel in atrio illius, aut in claustro apud religiosos : hæc mensa mappâ coöperiri debet, et super eam sequentia apponuntur. 1.º Vas cum carbonibus non ignitis. 2.º Ligna sulphurata, materia facilè combustibilis, et instrumenta ad ignem excutiendum. 3.º Arundo, et cereus albus tripartitus (1). 4.º Manipulus, stola et dalmatica coloris albi. 5.º Missale apertum. Præterea in presbyterio versùs cornu evangelii erigi debet cereus Paschalis, qui sit pariter coloris albi. His positis, sit

§. I.

De igne novo.

I. OLIM singulis diebus post laudes cerei omnes extinguebantur, et ad vesperam ignis novus excutiebatur sub invocatione SS. Trinitatis: *laudamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum*. Per diem autem lumine solis officia celebrabantur (2). Vestigium

(1) Olim erat una tantùm candela, sed compacta ex tribus filis ceratis et simul intortis, ut infra processionem flamma illius ventis efficacius resisteret.

(2) *Grancolas*, tom. 2. de igne novo.

igitur quoddam antiquitatis hodie servat Ecclesia novum ignem excutiendo ad officii celebrationem, simul et mentionem faciendo SS. Trinitatis cereo triangulo, et ter cantando in illius honorem *lumen Christi*. Mysticè extinctio luminum significat extinctionem Christi in sepulchro, et novi ignis productio, ejusdem Christi vivificationem in die resurrectionis: huic significationi concordare videtur mens Ecclesiæ, utpotè, quæ in festo ascensionis, post evangelium in quo refertur ascensus Christi in cælum, extinguit cereum Paschalem, sic ut non amplius accendatur.

II. Dum in choro recitantur parvæ Horæ, sacerdos se induit amictu, albâ, cingulo, stolâ, non autem casulâ, sed pluviali violacei, si detur; diaconus verò stolâ, et subdiaconus sine manipulo. Finitâ Nonâ, procedunt ad mensam pro benedictione novi ignis. Sacrista paulò ante adventum celebrantis ad mensam, ignem excutere debet, et carbones accendere in vase. Porrò sic ordinatur processio: 1.º Incedunt tres acolythi, medius fert vas aquæ benedictæ; qui hujus dexteram tenet, thuribulum portat vacuum, et alter pelvim cum quinque granis incensi. 2.º Sequitur subdiaconus serviens cum cruce. 3.º Clerici. Tandem celebrans cum diacono à suâ sinistris.

III. Cùm ad mensam perventum fuerit, sacerdos se constituit coram missali; et diaconus ad illius dexteram; crucifer verò è regione celebrantis, cui vertit effigiem crucifixi; acolythi verò retrò post celebrantem. Celebrans igitur, detecto capite, junctis manibus, et clarâ voce recitat orationes pro igne benedicendo, et dum ignis est signandus, elevat diaconus pluviale: in fine

orationum omnes respondent *amen*. Eodem modo deindè benedicuntur quinque grana incensi, sustinente pelvim coram celebrante acolytho. Interim, dum hæc incensi grana benedicuntur, thuriferarius è vase deponit in thuribulum carbones ignitos; non omnes tamen, sed solummodò partem. Grana benedictis, accedit thuriferarius; et, ministrante diacono cum osculis solitis, et invitatione *benedicite, Pater reverende*, sacerdos ter immittit thus in prunas ardentes thuribuli, ac illud benedicit his verbis: *ab illo benedicaris, etc.*, deindè accipit aspersorium, et ter injicit aquam benedictam in carbones in vasa restantes, simul et in grana incensi juxta vas posita, scilicet, 1.º in medio, 2.º à dextris rerum benedictarum, et 3.º à sinistris earumdem, dicens voce intelligibili *asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor*. Postea eodem modo, sed nihil dicens, ter incensat ignem in vase, et grana incensi.

IV. Hic diaconus deponit vestes violaceas, et assumit albas ibi paratas; et acolythus interea accendit candelam è carbonibus in vase positis, non autem ex igne thuribuli, cui aliqua desunt, ad perfectam illius benedictionem, nempè aspersio et incensatio, ponitque candelam, si sit necesse ob ventum, in laternam clausam, sed tunc sibi providet de aliquibus lignis sulphuratis ad assumendum ignem è lucerna. Dum hæc aguntur, aliquis omnia luminaria extinguit per ecclesiam, si jam non sint extincta. Vestitus diaconus assumit arundinem duabus manibus, in cujus summitate est implantata candela tripartita, redeuntque omnes ut sequitur. 1.º In-

cedunt thuriferarius non movens thuribulum, et à sinistris ipsius acolythus portans quinque grana incensi. 2.º Crucifer. 3.º Clerus. 4.º Diaconus, et lucifer juxta illum, et tandem celebrans capite coöpertus. Post discessum celebrantis, vas aquæ benedictæ, et cætera quæ habentur in mensa, transferuntur ad sacristiam.

V. Cùm diaconus et celebrans ingressi sunt ecclesiam, omnes hærent in locis; moxque diaconus inclinatur arundinem, et lucifer unam accendit candelam. Indifferens videtur ex rubrica, quænam prius accendatur, sed ad majorem uniformitatem, accendi potest primò media, secundò quæ est à dextris diaconi, et tertio alia. Post cerei illuminationem, diaconus relevatâ arundine, flectit duobus genibus, et simul cum eo omnes, excepto crucifero. Celebrans antequam flectat, debet se detegere. Diaconus genuflexus paululum elevat arundinem, et voce parùm elata cantat



Quo audito, omnes surgunt, choro respondente eodem tono *Deo gratias*. Indè procedunt ad medium ecclesiæ, ibique pariter fit statio, et accenso secundo cereo, flectit ut suprâ diaconus, simulque flectunt omnes, ac elevando paulò altiùs vocem et arundinem repetit *lumen Christi* et respondetur iterùm *Deo gratias*. E medio ecclesiæ procedunt in presbyterium, acolythus cum granis incensi, et thuriferarius se sistunt hinc et indè ante infimum altaris gradum, paulò retrò post illos crucifer, post cruciferum

diaconus, et post diaconum celebrans. Alii de clero constituunt duas lineas, sic ut seniores sint altari proximiores. Et tertio repetitur *lumen Christi* ut prius, sed elevando adhuc magis vocem et arundinem.

VI. Ubi est unus tantum sacerdos sine ministris, benedicto igne, dimittit vestes violaceas, et assumit manipulum, stolam et dalmaticam albi coloris, et agit vices diaconi ut supra. Si in minoribus ecclesiis deesset dalmatica, praefata caeremonia videtur agenda cum manipulo et stola, quibuscum etiam cantandum foret praeconium Paschale.

§. II.

De benedictione cerei Paschalis.

I. CEREUS Paschalis in origine magna erat cereae columna, in qua ordo officii à Paschate in Pascha subsequens inscribatur: hic ordo *Breve anni* dicebatur. Postea ordo ille cartae inscriptus est, quae ad dictam appendebatur columnam. Tandem multiplicatis Sanctorum officii propriis, et aliunde inventa impressione, quilibet suum obtinuit Directorium, ususque desiit appendendi ad columnam dictum officii ordinem. Nihilominus tamen Ecclesia retinuit usum cerei Paschalis, qui jam totus est symbolicus; repraesentat enim in praeterito columnam ignis, cujus lumine Hebraei per undas siccas maris rubri incedentes sese eripuerunt è manibus Pharaonis: huic significationi consonant haec verba praeconii: *Hæc nox est in qua primum patres nostros filios*

Israël eductos de Egypto, mare rubrum sicco vestigio transire fecisti. In præsentia autem Christum Dominum, qui lux est indeficiens, de qua ibidem, ita ut sicuti columnâ duce Hebræi educti sunt de potestate Pharaonis, et salvi pervenerunt ad littora maris; sic luce symbolicâ cerei Paschalis significatur catechumenos hâc die per undas baptismatis transeuntes, meritis Christi è potestate dæmonis eripi, illuminari et salvari, quod non obscure etiam exprimitur in præconio, ubi legitur: *Hæc igitur nox est quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgavit... quæ hodie per universum mundum credentes à vitiis sæculi, et caligine peccatorum segregatos reddit gratiæ, sociat sanctitati.* Quinque grana incensi infiguntur cereo Paschali quasi quinque vulneribus corporis Christi, aptèque bono odore significant aromata quæ mulieres emerunt ad unguendum corpus Jesu.

II. Procedendo jam ad rubricas benedictionis cerei; ter repetito *lumen Christi*, celebrans ascendit ad altare, quo osculato, se sistit in cornu epistolæ, faciemque vertit ad altare; diaconus verò, dimissâ arundine acolytho, accipit missale, et flexus utroque genu in suppedaneo altaris, prætermisso *munda cor meum*, etc., dicit *jube domne, benedicere*; versus autem ad eum per suam sinistram celebrans dicit: *Dominus sit in corde tuo... suum Paschale præconium*, et addens *In nomine Patris*, etc., eum signat absque manûs osculo.

Ubi est unus tantum sacerdos sine ministris, dimissâ arundine, flectit duobus genibus in infimo gradu, et tenens missale ante pectus dicit

secretò, *jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo*, etc., omniaque agit in cornu evangelii, quæ sunt tradenda pro officio diaconi.

III. Post benedictionem diaconi, sacerdos stat in cornu epistolæ, manibus junctis et facie versâ ad librum quo utitur diaconus, attendens ad lectionem præconii, quod ipse non legit. Diaconus verò post sui benedictionem ex altari descendit, et factâ genuflexione in infimo gradu cum omnibus aliis in suis respectivè locis, excepto crucifero, procedunt omnes ad locum ubi cantari debet præconium. Crucifer se constituit ad dexteram diaconi, vertitque imaginem crucifixi ad celebrantem, ad illius verò sinistram se locant acolythus tenens pelvim cum granis incensi, et alter cum candela tripartita. His ita dispositis, diaconus per suam dexteram accipit thuribulum fumigans ex thuri imposito ad incensandum ignem novum, terque librum incensat uti ad evangelium. Libro incensato, thuriferarius vadit et hæret ad dexteram cruciferi; diaconus autem, junctis manibus, voce sonorâ, lætâ et omninò festivâ incipit *Exultet jam angelica turba cælorum*, omnibus in choro et ecclesia stantibus capite discoöperto. Cùm pervenit ad hæc verba *curvat imperia*, cantum interrumpit, et infigit cereo quinque grana incensi, ut notatur :

	1	
4	2	5
	5	

Prosequitur deindè, et ut dixit *rutulans ignis accendit*, accipit candelam tripartitam, et ce-

reum Paschalem accendit, eum deponente, si necesse sit, acolytho. Pergit *qui licet*, et dicto *apis mater eduxit*, aliquis acolythus, mutuato lumine à candela tripartita, et silente diacono, lampades ecclesiæ accendit; accensis lampadibus, resumat diaconus, ac in fine præconii exprimit cum inclinatione capitis ad litteram N. nomen Pontificis regnantis. Si sedes vacet, omittit *cum beatissimo Papa nostro*. Pariter exprimitur ad secundum N. nomen antistitis, sed absque inclinatione. Sede vacante etiam prætermittitur *et antistite nostro* (1). Ad tertium N. ponitur nomen imperatoris Romani ut habet missale. Sede autem vacante, loco *respice etiam ad devotissimum*, etc., dicitur *respice etiam ad Romanum imperium, cujus, tu Deus, fidelium vota prænosces*.

Quæres 1.º quis fuerit auctor hujus præconii? Quidam auctorem illius faciunt *S. Augustinum*, alii *S. Leonem*, sed asserti nullam adferunt solidam probationem : undè dicendum auctorem hujus elegantis cantici esse penitus ignotum.

Quæres 2.º Quid dicendum de his expressionibus præconii : *O certè necessarium Adæ peccatum.... O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem?* Quibusdam duræ admodum videntur, qui et idcirco desiderant earum expunctionem è cantico. Sed reflectant, quòd si Christus laudare potuerit villicum iniquitatis in se odibilem, eò quòd malum injustitiæ prudenter fecisset ; eodem modo necessarium dici

(1) Sedes vacans censetur etiam post electionem episcopi, donec scilicet habeat confirmationem; et hæc sit solemniter promulgata.

potest Adæ peccatum, non in se quidem, cum liberè illud Adam commiserit, sed in supposito consummandi Incarnationis mysterii, quod locum non habuisset, Adamo non peccante. Similiter felix culpa dici potest, non in se, infelicissima quippè fuit sic considerata, sed ratione boni effectûs : si enim Adam non peccasset Christus consequenter non venisset; id enim supponit in illis expressionibus Ecclesia, et consequenter caro nostra per unionem hypostaticam Verbi non fuisset significata.

Quæres 3.º ex quo confici debeat cereus Paschalis? R. Totum à parte superiori ad infimam ex cera albi coloris; id quippè, quod benè notari debet, importat verbum rubricæ *cereus*, adeòque adhiberi nequit, prout abusivè fit in his partibus, et apertè contra rubricæ dispositionem, lignum cerei fictitium, super quo quasi candelabro cereus parvus locatur, quodque pejus est, grana incensi in hac parte lignea intinguntur; undè fit ut verus cereus Paschalis, huic ligno superpositus aliquibus careat essentialiter ad illius benedictionem facientibus, nempe granis incensi, quæ in eo figi debent. Insurgit præterea aliud inconveniens: nam in benedictione fontis, in aquam infunditur cereus Paschalis: in illis autem locis, quid infundetur? an lignum fictitium? non est cereus. An cereus superpositus? caret granis incensi, quæ ex dictis pertinent ad illius benedictionem: adeòque rubrica de infundendo cereo benedicto in fontem in illo supposito rectè adimplere nequit; quare rectoribus ecclesiarum incumbit hæc in-

convenientia tollere, adhibendo nudum et verum cereum, prout in rubricis præscribitur.

Quæres 4.º de amplitudine et ornamentis hujus cerei. Circa primum nihil in missali statuitur, sed necesse videtur illum excedere amplitudinem cereorum communium; aliàs nulla esset proportio et relatio illius ad antiquam et magnam ceræ columnam, quæ olim in vigilia Paschæ accendebatur. In Basilica Lateranensi cereus Paschalis pondus 80 librarum habet, apponiturque supra columnam marmoream tortuosè elaboratam. Juxta *Castaldum* pondus 40. vel 8. librarum pro laudabili ecclesiarum consuetudine habere debet. In ecclesiis autem pauperioribus absque præjudicio amplitudinis quantitas minui posset, in medio cerei vacuum aliquod relinquendo. Quoad altitudinem, tanta esse debet, ut statutis diebus usque ad ascensionem Domini accendi queat.

Quoad secundum, dicitur circa medium cerei, vel paulò infra, crucem esse pingendam, in qua grana incensi infigantur. Deindè circumcirca ornari potest aliis piis picturis, v. g. effigie Christi resurgentis, patroni ecclesiæ, Angelorum, etc. Ut autem faciliùs grana incensi intromittantur, præviè ad cerei benedictionem practicanda sunt in cruce depicta super cereo quinque foramina.

Sed quid de quinque clavis cereis qui in candelâ Paschali in his locis implantantur super grana incensi? de his altissimum silentium in omnibus libris ritualibus, tum antiquis, tum modernis (1).

(1) Horum unicam tantum mentionem reperi in rubricis Ecclesiæ Leodiensis impressis anno 1769, sed, ut videtur, eorum redactor sub oculis habuit usum, seu abusum Leodii vigentem, quam inadvertenter in rubricam convertit. Optanda igitur foret hujus novæ rubricæ emendatio.

Hæcque praxis videtur ortum duxisse ex frustulis ceræ, quibus fortè olim foramina granorum incensi occludebantur, et quæ successu temporis clavorum formam malè induerunt, quia apertam falsitatem referunt in numero; constat enim tribus tantùm clavis, ad summum quatuor, corpus Domini fuisse cruci affixum (1). Aliundè hi clavi à cereo Paschali sunt removendi, ratione scilicet falsi cultûs, quem illis exhibent fideles; ex errore enim eos reputantes benedictos, illis utuntur ad certos effectus obtinendos ad quos, nec ex se, nec ex institutione Ecclesiæ conducunt. 1.º Non ex se, ut attendenti patet. 2.º Nec ex Ecclesiæ instituto, cùm illos ignoret, nec verbum habeat eorum benedictionis sub præsentis cæremonia: benedictiones quippè hujus diei ignem, grana incensi, et cereum Paschalem solùm afficiunt: undè patet hanc praxim, ubi viget, esse resecandam, utpotè contrariam veritati, religioni, et menti Ecclesiæ.

Quæres 5.º quo benedicatur cereus Paschalis?
 R. introductione quinque granorum incensi in illum; et fortè ad illius benedictionem aliquatenus concurrere potest ignis benedictus, quo accenditur. Idque evinci potest eò quòd præter hos actus nihil ampliùs inveniri possit faciens ad hujus cerei sanctificationem: nam sacerdos peractâ benedictione granorum incensi, et novi ignis, deinceps non attingit dictum cereum. Equidem diaconus cantat præconium Paschale, sed quo præcisè exaltantur laudes et effectus ejusdem cerei. Aliundè diaconus non est minister

(1) *Joannes Molanus*, lib. 4. cap. 62.

alicujus benedictionis, proindèque hæc benedictio reponenda est in unione granorum incensum cum cereo, et fortè etiàm, ut antè diximus, in accensione illius cum igne benedicto, et quamvis hæc fiant à diacono, tamen vim sanctificandi cereum solùm trahunt à sui benedictione per opus sacerdotii.

§. III.

De prophetiis et benedictione fontium.

I. FINITO præconio, diaconus claudit librum, crucem ferens eam deponit in loco consueto, cereus tripartitus locatur super magno candelabro juxta cereum Paschalem, paraturque in medio chori pulpitem, super quo ponitur missale apertum. Interea celebrans exuit pluviale, ac assumit manipulum et casulam coloris violacei; pariter diaconus deponit vestes albas, et induit se stolâ, et manipulo violacei etiàm coloris; subdiaconus recipit quoque suum manipulum (1). Hæc omnia deferuntur ab acolytho ad celebrantem et ministros in cornu epistolæ, adeòque, pro mutandis vestibus non redeunt in sacristiam.

II. Celebrante parato, leguntur et cantantur duodecim prophetiæ sine titulo: porrò titulus earum non ponitur, quia olim Ecclesia illum re-

(1) Cær. episc. lib. 2. cap. 28. §. 1. præscribit, ut subdiaconus manipulum assumat post benedictionem novi ignis, sed cap. præced. §. 12. habet ut assumat cum celebrante, uti faciliè colliget attentè legens hunc locum: huic secundæ dispositioni adhæremus cum *Bralion* et *Merati*, utpotè regulis rituum conformiori.

ticendo consulebat infirmitati catechumenorum è gentilitate venientium ; ne scilicet audientes in principio sermonis nomina Hebræorum despicerent sacram doctrinam ; hæ ergò lectiones olim inserviebant instructioni baptizandorum , et nunc eruditioni adstantium.

III. Dum celebrans se ad librum convertit , aliquis è choro accedit ad pulpitum , factâque genuflexione , deponit manus in librum , et cantat primam prophetiam. Interim celebrans , stantibus ministris uti ad introitum missæ , legit eam voce mediâ , et depositis pariter in librum manibus. In fine non responso *Deo gratias* , ministri ad loca redeunt retrò post celebrantem , nisi fortè sederet celebrans , donec lector absolvat ; in hoc enim casu etiam sederent , more solito , ad latera illius. Terminato cantu primæ prophetiæ , celebrans aperiens manus , ac illicò jungens , caputque cruci inclinans cantat *oremus* , tum diaconus flectens duobus genibus subjungit *flectamus genua* ; et deindè subdiaconus similiter genuflexus *levate*. Sacerdos stat interea , et ut dictum est *levate* , prosequitur orationem manibus extensis , eamque concludit junctione manuum et inclinatione capitis ad crucem , si in conclusione nomen *Jesu* reperiatur. Sicque expediuntur omnes aliæ prophetiæ sequentes. *V. T. II. art. III. n. III.*

IV. Si in ecclesia sit fons baptismalis , finitis prophetiis , celebrans descendit in planum presbyterii juxta cornu epistolæ , ubi dimittit casulam et manipulum , induitque pluviale violacei coloris : pariter ministri ibidem deponunt manipulos. Tum ordinatur processio ad fontes , ut sequitur ; 1.º incedit ferens cereum Paschalem. 2.º Crucifer

acolythus vel subdiaconus in albis, et medius incedit inter duos ceroferarios. 3.^o Sequuntur clerici bini et bini. 4.^o Celebrans tecto capite inter ministros discoöpertos. Hi antequam procedant, altari exhibent reverentiam in inferiori gradu illius.

V. Infra processionem cantatur à choro *sicut cervus*, quod et recitat sacerdos. Cùm pervenerint ad capellam ubi sunt fontes, crucifer cum ceroferariis ita se constituit prope fontes, ut habeat ex adverso celebrantem. Clerici se locant eo meliori modo pro loci capacitate. Sacerdos verò, antequam ingrediatur capellam hæret ad illius portam, vel si non sit porta, in aliqua à fontibus distantia, ubi detecto capite, ac junctis manibus cantat *Dominus vobiscum*, deindè, librum sustinente acolytho, vel ejus defectu sustinentibus illum ministris, *oremus* cum inclinatione ad crucem; tum orationem absolvit in tono feriali. Postea ingreditur capellam, et omnia agit uti in missali, in quo omnia clarè indigitantur quæ spectant ad hanc benedictionem. Solùm notari debet, quòd, dum celebrans aliquid immittit in fontes, vel aquas illius movet, ministri hinc et inde stantes, pluvialis partes anteriores elevare debeant.

VI. Cæremoniæ hujus benedictionis sunt purè spirituales, et summatim sequentia significant. Imprimis ter celebrans tangit aquas; primo tactu eas dividit in formam crucis, à qua baptismus totam trahit efficaciam. Secundò eas physicè palpat et hoc designat jure ordinario baptismum esse conferendum sacerdotali ministerio. Tertiò eas pellit versùs quatuor mundi partes, ut de-

signetur omnes ad gratiam baptismatis vocari juxta illud *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Deindè halat et insufflat per modum crucis in aquas ad expellendos ab eis dæmones, quorum imperium ita mysterio crucis est constractum ut ad illius signum fugere te- neantur: hæc autem crux formatur halitu in ip- sorum majorem despectum, et ad insultandum eorum imbecillitati. Tertio cereus Paschalis de- mittitur in aquas. Cereus, ut jam diximus, Chri- stum repræsentat, cujus tactu aquæ Jordanis olim fuerunt sanctificatæ; immittitur ergò hoc Christi symbolum in fontem, ut tactu illius aquæ san- ctificentur. Cùm autem sub Christi baptismo, tota simul SS. Trinitas visibiliter apparuerit, ter ce- reus Paschalis immergitur in honorem illius, et ut à tribus Personis fiat fontis sanctificatio; invo- catur tamen solus Spiritus S. sub qualibet cerei immissione his verbis: *descendat in hanc pleni- tudinem fontis virtus Spiritus sancti*: quia sancti- ficatio specialiter tribuitur Spiritui sancto. Præte- rea cereus demergitur primò in fontem parùm, deindè magis, et tandem usque in fundum, ut non partialiter et divisim fons sanctificetur, sed integrè et completè, seu ut plenitudine sanctifi- cationis impleatur. Quarto oleum et chrisma in aquas fontis infunduntur; oleum Christum figurat juxta illud *oleum effusum nomen tuum*; aquæ verò populos, ut notum est ex hoc Apocalypsis *aquæ multæ, populi multi*; proindèque hæc commixtio designat baptismi effectum, nempe unionem ba- ptizati cum Christo.

§. IV.

De litanis et missa.

I. **COMPLETA** fontis benedictione, ac collato solemniter baptismo, si qui ad illum præsententur, vel si fons non sit benedicendus, finitis prophetiis, duo cantores in medio chori genibus flexi cantant litanias Sanctorum è missali, non autem è breviario, ubi sunt dissimiles seu longiores, chorusque easdem alternatim repetit, hoc est, quòd duplicentur, seu integræ recitentur, tum à cantoribus, tum à choro: his autem litanis post nomen *S. Joannis Baptistæ*, addi debet nomen *S. Joseph* (1), et vacante sede pontificiâ, omitti debent hæc verba in illis *domnum apostolicum*; dicendo tamen *ut omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris*. Præviè ad litanias, in cornu epistolæ, celebrans pluviale, si fontes benedixerit, aliàs casulam deponit, non tamen manipulum (2), quem nec dimittunt ministri (3). Sacerdos igitur

(1) In litanis Sanctorum pro diversitate functionum et temporum assignatis, et in illis pro commendatione animarum, post nomen *S. Joannis Baptistæ* statim adjungi debet illud *S. Josephi*, dicendo... *Sancte Joseph; ora pro nobis*. Bened. XIII. 19. Decemb. 1726 in decreto Urbis et Orbis. Apud *Cavallieri*, tom. 4. cap. 21. de sabb. sancto.

(2) *Merati*, tom. I. p. 4. tit. 10. num. 44.

(3) In ecclesiis majoribus, cum juxta dispositiones rubricarum ministri in diebus jejunii, et feriis adventus et quadragesimæ utantur planetis plicatis, de quibus diximus antè, pag. 54, et seq. antequam procumbant seu ante litanias, illas dimittunt; sed in ecclesiis minoribus, cum præfatis diebus ministrent in albis diaconus et subdiaconus, nihil hic habent deponendum.

tur, ut suprâ, exutus, et cum illo ministri se prosternunt super pavimentum, ut heri ante officium; proindèque acolythus tres cussinos ad hoc sat tempestivè in inferiorem gradum altaris deponere debet. Utrùm autem celebrans et ministri prostrati litanias recitare teneantur? responsionem negativam suadent: 1.º silentium missalis. 2.º Situs præsens celebrantis et ministrorum, ratione cujus impediuntur ab earum lectione. 3.º Dispositio rubricæ, quæ præscribit ut surgant dum cantatur *peccatoris*, et accedentes ad sacristiam induantur paramentis ad missam, nullâ factâ mentione lectionis vel recitationis eorum quæ supersunt. 4.º Tandem praxis universalis, quæ habet, ut non recitentur ab officiantibus. Interim celebrans et servientes strati se piè occupare debent infra cantum litaniarum, attendendo ad ea quæ cantantur, et mente invocando curiam cœlestem pro se et aliis, ac maximè pro neobaptizatis, si dentur; in horum enim gratiam olim cantabantur hæ litiariæ, et per illas quodammodò introducebantur in communionem Sanctorum.

Dum cantores intonant *peccatores*, surgunt celebrans et ministri, redeuntque in sacristiam assumpturi vestes albi coloris pro celebratione missæ. Vestes hæc die debent esse è pretiosioribus.

II. In ecclesiis minoribus, ubi deest copia cantorum, celebrans, deposito ut suprâ pluviali, vel casulâ, genuflexus in infimo gradu altaris litanias cantat; curare tamen debet ut circa finem aliquis suppleat, sicque possit vestes ad celebrandum assumere.

III. Absolutis litanis, cantores solemniter intonant *kyrie*, ut in graduali pro vigilia Paschæ, sed ita protrahendo cantum, ut ultimum finiat cum incensatione altaris. Dum intonatur *kyrie*, sacerdos imposito thure procedit ad altare cum ministris, celebratque more ordinario, sub exceptionibus tamen infra ponendis.

IV. Missa hujus diei non habet introitum, quod olim non rarò accidebat; dum enim missa immediate sequebatur aliquod officium, tunc per *kyrie* incipiebat (1). Undè celebrans, ut est à diacono incensatus, se vertit ad altaris parietem, et alternatim cum ministris dicit *kyrie*. Finiente autem cantu, redit ad medium altaris, et intonat *Gloria in excelsis*. Infra illius cantum à principio in finem pulsantur omnes campanæ (2).

(1) *Grancolas*, tom. 2. de Missa sabbati sancti.

(2) Circa pulsationem campanarum sub missa sabbati sancti sic statuit *Leo X*: *Tam regulares, quàm alii clerici sæculares, etiam super hoc apostolicæ sedis privilegio muniti, die sabbato majoris hebdomadæ, antequam campana cathedralis vel matricis ecclesiæ pulsaverit, campanam in ecclesiis suis pulsare minimè possunt; et contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant.* Constit. 22. cujus initium: *Et ut debitus*, Romæ edita die 19. Dec. 1516. Super hac constitutione 1.º advertitur per matricem ecclesiam, illam esse intelligendam, respectu cujus aliæ ecclesiæ retinent subjectionem filialem, ut si per dimembrationem ex una fiant plures parochiæ, illa è qua eriguntur, ecclesia matrix censetur. In dicta autem constitutione ecclesiis filialibus æquiparantur ecclesiæ regularium sitæ in districtu ecclesiæ matricis. 2.º Requiritur ut ecclesiæ filiales non plurimum distent à matrice: censentur autem plurimum distare, quando vix aut ne vix possunt audire sonum campanæ ecclesiæ matricis; tuncque non subjiciuntur præsentì constitutioni. 3.º Hæc constitutione non prohibetur pulsare campanulas, quæ sunt intrà ecclesiam, sed solùm eas quæ in campanili suspenduntur. Optandum foret ut hæc constitutio ubique ser-

V. Finitâ epistolâ, celebrans retinens manus in librum, expectat donec subdiaconus absolverit, et tunc cum omni mentis et vocis jubilo ter cantat *alleluia*, quâlibet vice vocem magis elevando, terque eodem tono repetitur à choro. Hodie ante tractum ponitur *alleluia*, quia tractus componitur ex psalmo *confitemini*, cujus titulus est *alleluia*. Sexies autem repetitur, ut melius lætitia spiritualis in cordibus fidelium diffundatur; sed cùm hæc lætitia nondum sit plena, ex eo quòd Christus nondum resurrexerit, mox subjungitur tractus, qui symbolum est pœnitentiæ et mortificationis: undè *B. Petrus Damiani* (1) ob tractum, qui hodie legitur post epistolam, refutat eos qui existimabant se audito *alleluia* posse jejunium frangere.

VI. Post evangelium, omissio symbolo, celebrans cantat *Dominus vobiscum*, et deindè *oremus*, sed sine offertorio; ad imitandum scilicet silentium SS. mulierum, quæ perterritæ recesserunt à monumento, ad quod venerant ad unguendum corpus Jesu cum aromatibus (2).

VII. *Agnus Dei* non dicuntur, et post orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti, etc., pax*

varetur, præsertim in civitatibus et oppidis; simultaneus enim sonus omnium campanarum sensum majorem lætitiæ infunderet. Attamen hanc constitutionem restrinxit S. R. C. verbis sequentibus. Apud *Cavalieri*, tom. 4. cap. 21. de sabb. sanct. *In sabbato sancto neque à sæcularibus, neque à regularibus pulsandæ sunt campanæ ante pulsationem illarum cathedralis, vel matricis, nisi antiqua observantia habeatur in contrarium, aut ecclesiæ plurimum distent.* Congreg. episc. et regul. 16. Julii 1601. Porrò antiqua observantia censetur, cujus initium ignoratur.

(1) Lib. 6. epist. 55.

(2) *Durandus*, lib. 6. cap. 85. n. 6.

non datur, quia Christus nondum dixit apostolis *pax vobis*: undè ministri locum mutant flectendo in terminis à quo et ad quem. Communio etiam in hac missa non ponitur, sed loco illius, more antiquo, cantantur vesperæ; quare sumptâ secundâ purificatione, cantor intonat antiphonam *alleluia*, etc. et deindè psalmum *laudate Dominum omnes gentes*. Interim celebrans transit ad librum in cornu epistolæ, et stantibus ministris uti ad introitum missæ, dicit manibus junctis ter *alleluia*, et deindè alternatim cum ministris recitat psalmum sequentem. Repetitâ à choro post psalmum antiphonâ, celebrans intonat *vespere autem sabbati*, et reliquum à choro absolvitur attendentibus celebrante et ministris. Hanc antiphonam ut absolvit chorus, celebrans redit ad medium, ubi flectentibus ministris, caput cruci inclinât; deindè ponit incensum, et tempore quo cantatur *Magnificat*, incensat crucem et altare, ipseque incensatur in fine à diacono. Tum conversus ad librum recitat manibus junctis, alternatim cum subdiacono canticum *Magnificat*. Interim diaconus, injecto thure, si opus sit, thurificat chorum, populum, et in presbyterium reversus subdiaconum, ac ipse tandem bis incensatur à thuriferario. Si necdum *Magnificat* sit à choro absolutum, accedit ad latus celebrantis, et illud recitat submissâ voce.

Finiente antiphonâ post *Magnificat*, quam nec celebrans, nec ministri recitare tenentur, modò ad illam attendant dum cantatur, redit celebrans ad medium altaris, ipsumque concomitantur ministri in suis respectivè locis, ac missam absolvit more solito, simul et vespere. Ab hac

die usque ad sabbatum in albis inclusivè *ite missa est*, adduntur duo *alleluia*. Pariter in laudibus et vesperis *benedicamus Domino* idem additur, non autem in aliis Horis. In missis votivis quæ infra octavam Paschæ cantantur pro re gravi, dicitur *ite, missa est*, vel *benedicamus Domino* sine *alleluia*, quia hujus additio est quid proprium missis Paschalibus (1).

VIII. Post missam candela tripartita extinguitur, et ab ecclesia amovetur, nec amplius inservire potest divinis officiis celebrandis (2). Quoad cereum Paschalem, accenditur juxta tenorem sequentis decreti: *Cereus Paschalis accendi debet ad missas et vesperas solemnes in triduo Paschatis, in sabbato in albis, et dominicis usque ad ascensionem, quo die, cantato evangelio extinguitur; ad matutinum, et in aliis solemnitatibus, et diebus solemniter celebratis non accendatur, nisi adsit consuetudo quòd durante tempore Paschali accendatur* (3). Adverti tamen debet quòd infra missas solemnes, quæ tempore Paschali celebrantur in paramentis violaceis, cereus Paschalis non sit accendendus; quia illuminatio hujus cerei est signum lætitiæ, quod non congruit missæ lugubri, qualis est omnis celebrata cum colore violaceo.

IX. Episcopus hâc die ordines conferens tenetur missam inchoare à prophetiis (4), et in

(1) Ita *Gavantus*, *Merati* et plures alii.

(2) Ita *Bauldry*, memoriale rituum, à *Portu* et *Merati*.

(3) S. R. C. 19. Maii 1607.

(4) Utrùm in sabbato sancto pro collatione sacr. ordinum episcopus in suo domestico oratorio teneatur missam cum prophetiis, ut in missali, celebrare? Responsum fuit, missam collationis, etc. incipiendam esse à prophetiis. S. R. C. 21 Martii 1744.

eadem legere vespervas; hincque generaliter observari meretur quòd prophetiæ, vespere et benedictio incensi, ignis ac cerei Paschalis ingrediuntur quodammodo substantiam missæ, adeoque ab eodem celebrante hæc omnia sint præstanda: undè in culpam incidunt, qui sine urgenti causa lectionem prophetiarum et præcedentia patiuntur fieri ab alio, ut per missam incipiant.

ARTICULUS XV.

De die quo Pascha est celebrandum.

I. CIRCA diem quo Pascha foret celebrandum, maxima olim exorta est discordia: multi præsertim ex Asia contendebant esse celebrandum lunâ decimâ quartâ primi mensis quocumque die incideret; adeoque cum Judæis. Alii è contrâ Paschatis diem agebant dominicâ sequente lunam decimam quartam primi mensis. Res tandem fuit discussa in concilio Nicæno, et statutum fuit, ut ab omnibus celebraretur die dominico sequente lunam decimam quartam mensis Martii post vernum æquinotium. Huic decisioni ex adversariis multi adhæserunt, sed non pauci pertinaciter lunam decimam quartam retinuerunt ad Paschæ celebrationem, qui et ideò *quartodecimani* nominantur. Porrò Ecclesia variis ex rationibus Pascha fixit in die dominico: 1.º ut ab omnibus christicolis hoc festum simul celebraretur. 2.º Ne Christiani hoc festum agerent cum Judæis, Christi interfectores. 3.º Quia Christus die dominico post dictam lunam decimam quartam resurrexit.

II. Ut autem simultaneitas in celebratione Paschatis per totum orbem terrarum servaretur, citatum concilium sequentia decrevit: 1.^o quòd vigesimâ primâ Martii deinceps æquinoxium verum reputaretur, sive citiùs, sive tardiùs juxta computationem rigorosam seu mathematicam incidat. 2.^o Quòd luna, cujus dies decimus quartus incidit in 21 Martii seu postea, sit luna prima, quam vocamus Martii. 3.^o Quòd dominica immediatè sequens decimam quartam diem lunæ Martii sit dies Resurrectionis dominicæ. 4.^o Quòd si luna decima quarta incidat in dominicam, Pascha celebrari debeat dominicâ tantùm sequente, ne scilicet Ecclesia Pascha suum illo anno celebret cum synagoga.

III. Ex dictis patet ad inveniendam dominicam Resurrectionis, et consequenter omnia alia festa mobilia, negligendum esse modum computandi astronomicum, et solùm esse attendendum ad ecclesiasticum: porrò ad inveniendum diem Paschatis, procedere oportet juxta hunc modum. 1.^o Quæri debet numerus aureus anni, cujus dies Paschalis quæritur. 2.^o Ex numero aureo illius anni, inveniendus numerus Epactarum eidem anno respondentium, et 3.^o littera dominicalis ejusdem anni. Harum operationum regulæ et principia in initio breviarii reperiuntur.

IV. His præsuppositis, sic fit operatio: cùm quis invenerit numerum Epactarum, debet quærrere in calendario breviariis præfixo ab octava Martii usque ad quintam Aprilis utrimque inclusivè, cui diei numerus dictarum Epactarum respondeat; et ab illo die, qui primus est lunæ Martii, debet numerare quatuordecim; dies in

quem incidit numerus decimus quartus, ille est in quo habetur luna 14^a Martii; deindè invenienda est littera dominicalis; quæ sequitur hanc lunam 14^{am}, illa demonstrat dominicam Paschæ.

Res ponitur in exemplo quoad annum 1785, cujus Epacta est 26. Factâ perquisitione in calendario ab octava Martii usque ad quintam Aprilis, invenitur Epactam 26 respondere 4 Aprilis: undè dico 4 Aprilis esse primum diem lunæ primæ, seu Martialis, et consequenter ab illa die inclusive numerando 14 dies, 14^a lunæ, incidit in 17 Aprilis, proindèque dominica sequens 17^{am} dicti mensis est dies Paschatis. Ad videndum autem in quam diem Pascha incidit, opus est notitiâ litteræ dominicalis, quæ dicto anno est E., et cum hæc littera sequens diem 17 Aprilis inveniat sub 20 Aprilis, dico diem Paschæ anno 1785 incidere in 20 Aprilis.

Hac tamen regula indiget animadversione; quando enim Epacta est 25, bis ponitur in calendario sub distinctis diebus, semel caractere antiquo seu Latino XXV, et semel caractere Arabico 25. Porrò quando numerus aureus anni currentis minor est duodecim, numeratio dierum lunæ fieri debet ab Epacta caractere Latino impressa. Dum verò est duodecim, vel suprâ, fieri debet ab Epacta caractere Arabico notata. Defectu hujus observationis, magna dissensio orta est ad figendum diem Paschatis anno 1754.

Quæres 1.^o Quare initia lunationum in directoriis divini officii non concordent cum initiis earumdem in calendariis civilibus?

R. Id venire, eò quòd luna prima seu Martii, quæ omnia festa mobilia regit, in directoriis

figatur relativè ad 21 Martii, et auxilio Epactarum; idque juxta calendarium Ecclesiæ: porrò hoc medio sciri tantùm potest moraliter initium hujus lunationis, pariter et finis; adeòque non mirum discrepantiam videri inter directoria et calendaria civilia quoad initium illius, quia hæc rigorosè et mathematicè lunationes computant. Positâ autem discrepantiâ circa primam lunationem inter unum et alterum calendarium, eadem resultare debet inter omnes toto anni cursu, quia finitâ lunatione primâ, ordo directorii postulat ut secunda mox subjungatur. Insuper advertere licet quòd dissonantia inter unum et alterum calendarium non sit uniformis toto anno, sed modò major, modò minor: ratio hujus est quòd cùm cursus menstruus lunæ comprehendat 29 dies, 12 horas, et 44 circiter minuta, et in calendario Ecclesiæ non fiat lunationum numeratio per semidies, necesse est tribuere primæ lunationi 29 tantùm dies et alteri 30 ad recuperandum 12 horas in prima prætermittas. Adde etiam quòd minuta per cursum lunæ annum negligantur: undè fit quòd dissonantia in utroque calendario pede pari ire nequeat à prima lunatione ad ultimam. Ex his ergò patet hunc defectum non oriri ex ignorantia vel errore rubricistarum, sed ex regulis ipsius calendarii ecclesiastici.

Quæres 2.^o quisnam sit respectus Epactæ ad lunam, ut ex ea possit colligi cursus lunationum?

R. Ad hujus quæstionis intelligentiam, notari debet quòd cursus annuus solis absolvatur 365 diebus et sex ferè horis, lunæ verò 354, adeòque cursus solis major est 11 diebus cursu lunæ:

hi autem 11 dies, quibus cursus solis excedit cursum lunæ, dicuntur Epactæ. Hoc posito facile videtur respectus Epactarum ad cursum cujusvis lunationis: dum enim sunt 11 Epactæ, seu 11 dies lunæ inchoatæ, illo anno prima Januarii est dies duodecima lunæ, sicque combinando numerum Epactarum et numerum diei mensis, in quo quæritur ætas lunæ, facile invenitur. Qui ergò intendit scire cursum lunæ quovis mense anni, et quâvis die mensis, sic procedere debet. 1.º Debet colligere numerum Epactarum anni currentis. 2.º Numerum diei mensis, in quo quærit ætatem lunæ, v. g. si decimâ mensis, decem computare debet. 3.º Si fiat operatio in primo mense, id est, hîc Martio, præfatis numeris debet addere 1, si in Aprili, 2, si in Maio, 3, et sic consequenter ad mensem Februarii inclusivè, ita ut in mense Decembri 10, in Januario 11, et Febuario 12 addi debeant. Hi autem numeri Epactarum, dierum mensis, et ipsius ordinis mensium simul additi dant ætatem lunæ menstruam. Quòd si numerus ex his conflatus major sit 30, ex illo 30 rejici debent, et numerus residuus tunc designat quot dies luna habeat.

Infra annum bissextilem (1) addi debet operationi, ut suprâ factæ, 1, idque causâ diei cre-

(1) Annus bissextilis adinventus est ad supplendas 6 horas, quibus cursus solis annuus excedit cursum anni nostri; hic enim constat 366 diebus tantum, ille verò 365 et 6 ferè horis; quæ neglectæ per tres annos faciunt discrepantiam 18 horarum inter cursum solis, et anni nostri; anno autem quarto habetur excessus 24 horarum, seu unius diei; quare ad reducendum cursum anni nostri cum cursu solis singulis quadri-

scntis in mense Februario ; adeoque hujus unitatis additio venit solum facienda in mense Martio et deinceps.

Exemplum. Si requirar dicere quot dies luna habebit 1.^a Decembris anni 1790 , imprimis assumo numerum Epactarum anni illius , nimirum 14. Deinde addo 1 , ratione primæ diei mensis , in qua quæro ætatem lunæ , et tandem his numeris addo 10 , ob mensem decimum à Martio , et cum ex tribus illis numeris in unum conflatis exurgant 25 , dico lunam processisse in cursu suo menstruo 25 diebus.

Aliud exemplum. Si petatur ætas lunæ in die 10 Januarii anni 1799 , colligo 10 ob diem decimum dicti mensis , deinde Epactas 12 , et tandem 11 , quia Januarius à mense Martio præcedente est undecimus , et cum in toto habeam 53 , rejicio ex illo numero 50 , supersuntque tria : undè

niis mensi Februario unus dies additur : porrò annus , cui fit additio unius diei , vocatur *bissextilis* , eò quòd in mense Februario bis dicatur sexto calendas , nempè die 24 et 25 ; tuncque mutatur littera dominicalis , quæ duplex in calendario habetur sub anno bissextili ; una designat dies dominicos mensium Januarii et Februarii , et altera alios reliqui anni. Porrò ad sciendum an annus sit bissextilis , sic est procedendum : ex anno in quo quæritur bissextilis , rejiciendi sunt duo priores numeri , et reliquum dividatur per 4 : si facta divisione toties præcisè 4 inveniatur , annus erit bissextilis ; si verò supersint unitates , hæc demonstrant annos effluxos à bissextili. Exemplum sit. Quæro an annus 1780 sit bissextilis ? imprimis ex illis numeris rejicio duos primos , nempè 17 , quare supersunt tantum 80 : quæro deinde quoties 4 sint in 80 , et invenio vigesies , nec plus , nec minus , undè concludo dictum annum esse bissextilem. Mediante eadem operatione respectu anni 1785 , inveniam vigesies 4 , et insuper 3 superserunt : quare concludo annum bissextilem effluxisse à tribus annis.

concludo lunam tres dies habere ætatis suæ menstruæ.

Aliqui lunationes in mensibus Januarii et Februarii computant ope novæ Epactæ, sicque procedunt ad sciendum quam ætatem luna habeat 40 Januarii anni 1799 : 1.º assumunt Epactam illo anno currentem, nempe 25, cui simpliciter addunt 10, ob diem decimum, in quo quæritur ætas lunæ, et numerus idem invenitur, scilicet 35. Fatendum tamen hunc modum computandi lunationes interdum producere unum diem discrepantiæ à numero, quem dat operatio facta juxta regulam præcedentem, prout examinanti patebit.

ARTICULUS XVI.

De die solemnissimo Paschæ (1).

I. INTER omnes Ecclesiæ solemnitates præsens specialibus titulis emicat; ideòque in martyrologio Romano vocatur *solemnitas solemnitatum*; et reverà si imprimis requiratur illius origo, apostolicæ est institutionis: deindè ritus, sub quo celebratur, est omnium maximus, nempe primæ classis cum octava privilegiata contra quodvis officium licèt solemne: hinc si festum patroni incidat in hanc octavam, transferri debet illius officium post dominicam in albis; solùmque post primum triduum permittitur ut post missam diei

(1) Ex antiquissima traditione hác die in multis locis fit benedictio agni occisi seu aliarum carniùm; idque suadet pietas fidelium, qui resumentes usum carnis, nolunt de illa edere, nisi fuerit quodammodò Deo oblata et sanctificata.

cantari possit missa patroni cum *Gloria in excelsis* et *Credo*, ratione concursus populi. Tertio si attendatur tempus præcedens et hoc festum subsequens, inde hæc festivitas multum nobilitatur; ad illius quippè celebrationem se præparat Ecclesia jejuniò quadragesimali, ac instante festivitatis die suum adauget mœrorem; nam tribus ultimis quadragesimæ diebus campanis imponit silentium, altaria denudat, officii ordinem invertit ac tono lugubri persolvit, quæ non parùm ad splendorem festi subsequenti conducunt. Quoad tempus subsequens, festo Resurrectionis Ecclesia adjungit duos dies solemnes et festivos. Imò olim tota octava Paschatis festiva erat (1), protrahiturque hæc solemnitas usque ad festum sanctissimæ Trinitatis.

Aliundè non est aliquod festum datum Christianis, quod ita sicut præsens nos excitare debeat ad animi alacritatem et cordis jubilationem; siquidem in Resurrectione Christi, et fides roboretur, et futuræ nostræ gloriæ pignus nobis detur. Primò fides roboratur, quia si Christus resurrexit, necessariò erat Deus, et consequenter omnia quæ docuit, vera sunt: Deus quippè nec falli, nec fallere potest. Ad horum verificationem duo manent probanda, scilicet connexio essentialis inter Christi Resurrectionem et ipsius Divinitatem, et factum ipsius Resurrectionis. Primum per se patet; cum enim Christus suæ Divinitatis probationem in sua Resurrectione possisset, dicens Matthæi cap. 12 v. 40. *Sicut enim*

(1) Cujas tit. de feria ad caput 1 et 2. lib. 2. decret., necnon Scaliger, de Mend. temp. cap. de diebus.

fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. Et Joan. cap. 2. v. 19. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Si Christus non fuisset Deus, ad divinam spectabat providentiam impedire non modò realem impostoris illius Resurrectionem, sed et hujus phantasmata, ne totus orbis in errorem induceretur; ergò si Christus resurrexit, Filius Dei erat, et Deus cum eo.

Quòd autem resurrexerit, factum est, circa quod minimum dubium prudenter moveri nequit; nam illius testimonium accepimus ab ipsismet Christi inimicis, quod et confirmaverunt apostoli, in hac relatione minimè suspecti. Primò igitur Resurrectionem Christi attestati sunt ipsimet Judæi et eò certius quòd fuerint testes illius oculati; mortuo enim in cruce Christo, ad impediendam omnem circa hoc illusionem, corporis custodiam à Pilato petierunt, quâ obtentâ, accedunt ad monumentum, certos se faciunt de corporis existentia in sepulchro; lapidem magnum deindè volvunt ad illius ostium, ac sigillo obsignant. Tandem sepulchrum muniunt militibus armatis, ne quis ad locum accedere valeat. Sed eheu! quid prodest humana industria contra consilium Omnipotentis? Die tertio summo mane Christus solus inter mortuos liber, terram concutiens, vivus egreditur è monumento, manus angelica revolvit lapidem ab ostio illius, et sepulchrum apparet omninò vacuum; his prodigiis perterriti custodes et semimortui repetunt passu præcipiti civitatem, fiuntque primi præcones gloriæ Christi resurgentis.

Nec obest hæc facta referri ab amicis Christi, nempe evangelistis. Esto; jamjam videbitur eos minimè esse suspectos in hac relatione; sed interim in horum confirmationem adferri etiam potest testimonium unius famosi Judæi, nempe *Joseph*, qui de antiquitatibus Judaïcis lib. 18. cap. 4. ait: *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator et doctor, etc. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, apparuit tertiâ die vivus; ita ut divinitus de eo vates hoc et alia multa miranda prædixerunt.*

Deindè in testes hujus veritatis adducuntur apostoli, quibus Christus post mortem vivus apparuit, quibuscum bibit, manducavit et conversatus est non semel, sed pluries, quique omnes hanc Resurrectionem verbis et scriptis prædicaverunt, miraculis confirmaverunt, ac tandem effusione sanguinis sigillaverunt. Si quod testimonium valeat ac admitti debeat, profectò illud est, ex quo testantibus nullum lucrum, sed damnum resultat. Porrò apostoli evangelizantes Christum à mortuis surrexisse, nihil indè messuerunt nisi catenas, flagella, squalorem carcerum, ac in fine mortem cruentam. Quæ autem verisimilitudo quòd homines timidi, qui apprehenso Christo eum deseruerant, voluissent cum tanto sui dispendio sustinere fictitiam Resurrectionem impostoris, qui eos tam turpiter decepisset; hoc excedit omnes credibilitatis limites. Equidem visi sunt qui cum vitæ jactura errorem mentis, v. g. falsam opinionem tenuerunt, sed hactenus nullum exstat alicujus exemplum, qui eò dementiæ de-

venerit ut factum fictitium et suppositum cum vitæ periculo sustinuerit.

Resurrectio igitur Christi firmat fidem nostram, sed insuper pignus dat nobis et exemplar futuræ gloriæ nostræ; etenim si resurrexerit, et resurgemus, et eodem modo quo Christus, id est, caro nostra in die resurrectionis generalis induetur immortalitate, impassibilitate, agilitate et subtilitate quibus jam caro Christi ad dexteram Dei sedentis est vestita. Hoc nobis promissum est in multis Scripturæ locis, quæ brevitatis causâ sileo.

Lector hanc brevem nobis indulgebit digressionem, in quam ingressi sumus in ipsius gratiam, nempe, ut firmiori fide, et ampliori devotione sub hac sanctissima festivitate Resurrectioni dominicæ officii tributum impendat. Nunc de ritibus officii hujus celebritatis.

II. Officium hebdomadæ Paschalis redolet antiquam simplicitatem, de qua diximus sub hebdomada majori; in eo quippè hymni, capitula et responsoria brevia non inveniuntur: sed nihilominus Ecclesia multum relevat illius lætitiâ, quatenus psalmis reddit versiculum *Gloria Patri*; aliundè continuò resonat in illo verbum lætissimum quod in cœlesti Jerusalem cum exultatione continuò repetitur Apocal. cap. 49, nempe *alleluia*. Tandem sub finem cujuslibet Horæ ponitur hæc festivissima antiphona: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.*

III. Matutinum infra hanc octavam componitur ex tribus tantum psalmis, et totidem lectionibus. Ratio autem cur his diebus matutinum tam breve dicamus, est quòd olim officium sabbati

protraheretur usque in noctem dominicæ, sic ut tempus non suppeteret longiori officio; eratque usus Ecclesiæ Romanæ, si credatur *Amalario*, abbreviandi lectiones et officium, quoties officium nocturnum seu matutinum inchoabatur paulò ante auroram, prout accidebat in Paschate; et hoc ut laudes suo tempore, id est, in aurora cantarentur.

IV. Vesperæ olim, ubi erant fontes, speciali ritu perficiebantur; psalmi enim *de profundis* et *in exitu* cantabantur ad fontes; per quos neobaptizati quasi per mare rubrum transeuntes egressi sunt de Ægypto, seu de captivitate dæmonis. Hunc ritum servavit Ecclesia Leodiensis et plures aliæ, sed juxta usum modernum Ecclesiæ Romanæ, vesperæ in choro absolvuntur more solito.

V. Sabbato infra octavam Paschæ, vesperæ dicuntur ritu duplici sub una antiphona, seu 3 *alleluia*, quæ duplicantur ante et post psalmos. Resumuntur deindè capitulum, hymnus et versus ante antiphonam ad *Magnificat*, fitque sequenti die officium de dominica, uti in breviario, sub ritu duplici. Multi quærent cur fiat transitus ab officio brevissimo ad longissimum; idque in die ipsa octava solemnitatis Paschalis; sed stat pro omni ratione voluntas Ecclesiæ, quæ sicuti indulget diebus præcedentibus officium breve, nunc exigit longius, restituendo officium in cursu ordinario. In nonnullis tamen diocesisibus, et notanter in Leodiensi, pariter et in variis religionibus, ubi viget breviarium particulare, eò quòd festum Paschatis quodammodò perducatur usque ad festum SS. Trinitatis, toto tempore Paschali matutinum legitur ut infra octavam Paschæ,

id est, cum tribus psalmis, tribusque lectionibus. Contrarium habet usus Carthusianorum; in die enim Paschatis et per octavam ponit officium matutini, uti per annum.

VI. Hæc dominica dicitur *in albis*, eò quòd neobaptizati, albis vestiti à sabbato sancto in signum innocentiae per baptismum acquisitæ, vestes illas hâc die deponerent (1).

VII. In ecclesiis, in quibus ex errore anniversarium dedicationis fixum est dominicâ in albis, supplicandum est pro assignatione alterius diei, quia hæc dominica est privilegiata contra omne festum occurrens (2). Et eò magis urget ratio supplicandi ad dictum effectum, quòd recitantes illo die officium dedicationis non satisfaciant obligationi; nam si in die palmarum recitans officium Paschatis non satisfaciat, uti constat ex propositione damnata, ita nec satisfacit quis in præsentis casu, cùm officium dominicæ notabiliter sit longius officio dedicationis.

ARTICULUS XVII.

De tempore Paschali.

I. Tempore Paschali officium et missa SS. apostolorum et martyrum celebrantur, uti in breviario et missali; aliorum verò, scilicet confessorum, virginum, etc., ut sequitur. 1.º In fine

(1) Est propriè dominica post sabbatum in albis; quia albæ vestes pridie deponerentur. *Burius* in onomast. Hinc in ord. Rom. vocatur dominica *post albas*, et in missali Ambros. dominica *in albis depositis*.

(2) Rub. gen. brev. tit. 10. de transl. fest. n. 1.

invitatorii ad matutinum ponitur unum *alleluia*. 2.^o Tres psalmi nocturnorum recitantur sub una antiphonâ, scilicet prima cujusvis nocturni, cui unum additur *alleluia*. 3.^o Versiculis ante lectiones, responsoriis matutini ante versum eorundem, antiphonis laudum et vesperarum, ad *Benedictus* et *Magnificat*, unum pariter apponitur *alleluia*: excipe, nisi unum sit præviè additum, uti antiphonæ quartæ confessorum Pontificum *sacerdotes Dei*, et virginum *veni electa mea*. 4.^o Responsoriis brevibus parvarum Horarum duo adduntur, et unum versui, ut in hoc exemplo.

Amavit eum Dominus et ornavit eum : *alleluia*,
alleluia.

Amavit eum Dominus et ornavit eum : *alleluia*,
alleluia.

Stolam gloriæ induit eum : *alleluia*, *alleluia*.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Amavit eum Dominus et ornavit eum : *alleluia*
alleluia.

ÿ. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi : *alleluia*.

R. Ad sacrificandum ei hostiam laudis : *alleluia*.

5.^o In omnibus missis, tum festivis, tum votivis, non tamen *de requiem*, post introitum ponuntur duo *alleluia* : offertorio autem et communioni unum tantum adjicitur : excipe iterum nisi unum præviè sit adjectum. 6.^o Responsorio completorii in *manus tuas*, etc., duo adduntur, ut supra in responsoriis brevibus, et unum antiphonæ ad *nunc dimittis*.

II. Infra tempus Paschale hymni ejusdem metri, et qui non habent doxologiam propriam, concluduntur, *Deo Patri sit gloria, et Filio qui à mortuis*, etc. Porrò inter eos, qui habent do-

xologiam seu glorificationem propriam, recenseri debet hymnus plurimorum martyrum ad matutinum, scilicet *Christo profusum*; adeoque concludendus est ut in breviario *te nunc Redemptor, quæsumus, ut martyrum consortio*, etc.

III. In Festis semiduplicibus, et ritûs inferioris hoc tempore occurrentibus, Ecclesia neglectis communibus Sanctorum suffragiis, solam facit de cruce commemorationem, in laudibus per antiphonam *crucifixus surrexit*, etc., et in vesperis per aliam, quæ incipit *crucem sanctam*, in quibus nihil mœstitiæ habetur; licèt enim in illis fiat mentio crucis, jam illius ignominia omninò sublata est per gloriosam Christi Resurrectionem, de qua etiam in illa commemoratione.

IV. Triduo ante ascensionem Domini, fiunt litanîæ, seu juxta etymologiam hujus vocis, rogationes seu supplicationes cum processione: hæc autem exercitia publicæ devotionis orta sunt in Galliis, et quidem ante sæculum V; de illis quippè loquitur *Sidonius Apollinaris* episcopus, auctor V. sæculi (1); ait enim ante tempora *Mamerti*, de quo mox, supplicationes seu rogationes fuisse vagas, seu absque diebus fixis, *tepentes*, seu absque devotione, raras et absque jejuniis, fiebantque, juxta eundem, ad obtinendam pluviam vel aëris serenitatem; refertque *Mamertum*, qui Viennæ in Galliis sedit episcopus, dictas supplicationes, prout nunc fiunt, invenisse et instituisse, in quibus jejunatur, oratur, psallitur et fletur. *Mamertus* igitur grassantibus terræ motibus, incendiis, et aliis calamitatibus, et particulariter ob

(1) Lib. 5. epist. 14.

inflammationem palatii, quæ in urbe sua acciderat vigiliâ Paschæ anno 469, triduo ante festum ascensionis ad avertendam Dei iram processiones et supplicationes, seu litanias induxit; indèque mox transierunt ad alias Galliarum ecclesias, primumque Aurelianense concilium anno 511 (1) jejunium in illis præscripsit his verbis: *rogationes, id est, litanias ante ascensionem Domini ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari cum triduo jejunio.* E Galliis evectæ sunt in Hispaniam, sub initio sæculi VII, et tandem in Ecclesiam Romanam sub fine sæculi VIII à Leone III, de quo dicit Anastasius bibliothecarius, in vita illius: *iste Pontifex constituit, ut ante tres dies ascensionis dominicæ, litanicæ celebrarentur.*

In Galliis sæculo VI fiebant rogationes cum stricto jejunio, uti constat ex concilio Aurelianensi suprâ citato, sed brevè desiit ob lætitiâ temporis Paschalis; jamque celebrantur cum sola abstinentia à carnibus; in quibusdam tamen locis, et notanter in nostra diœcesi Leodiensi, proponitur fidelibus jejunium devotionis usque ad meridiem

Porro nunc exercentur hæ supplicationes publicæ ad obtinendam in fruges et messem divinam benedictionem, necnon ad avertenda mala tum præsentia tum fortè imminetia reipublicæ vel Ecclesiæ, fiuntque cum pœnitentiæ apparatu, ut clerus et populus illis intersint animo contrito et humiliato. *Vide art. XXII. n. IV.*

In Ecclesia Græca inter Pascha et Pentecosten non admittuntur litanicæ, nec processiones, nec

(1) Can. 27.

jejunia; sed in Latina rationem temporis vicit utilitas publica. In ordinario Carthusianorum nulla mentio fit rogationum; et ratio hujus est, quòd processiones harum dierum quodammodò repugnent eorum statui, quo in solitudine detinentur.

V. Tres feriæ rogationum admittunt officium novem lectionum, etiam translatum; non tamen hebdomadale. Feriâ secundâ, si fiat officium de Sancto, lectiones primi nocturni dicuntur de communi, nisi fortè pridie lectiones Scripturæ fuissent omissæ, tunc enim poneretur initium epistolæ primæ *B. Petri*. Lectio nona erit de feria, cujus etiam fit commemoratio in laudibus et missa, ac in fine missæ legitur evangelium feriæ, loco evangelii *S. Joannis*. Ubi cantantur duæ missæ, in ea quæ cantatur de festo, non fit commemoratio de feria, nec vicissim in missa feriæ fit memoria festi.

VI. Feria tertia est minor: hinc illius non fit commemoratio in officio festi occurrentis, licet simplicis; in missa tamen præscribitur illius commemoratio ad instar simplicis, hoc est, quòd omittatur in omnibus missis festi primæ classis, ac in cantatis secundæ.

VII. Si occurrat feriâ IV festum primæ classis, nihil fit in eo de vigilia; si verò occurrat in ea festum inferioris ritûs, modò novem lectionum, in tali officio legitur nona lectio vigiliæ, illius fit commemoratio in laudibus ac missa, et loco evangelii *S. Joannis*, ponitur evangelium vigiliæ. Dum in hac vigilia occurrit festum simplex, officium et missa fiunt de vigilia cum commemoratione simplicis, sed in matutinis non po-

nitur illius lectio quamvis propria. In cathedralibus et collegiatis ecclesiis, dum hâc die venit festum novem lectionum, præter missam de rogationibus dicuntur duæ missæ, una de festo, et alia de vigilia, ita missale, et in qualibet, nisi festum foret duplex, secunda oratio erit de Beata, et tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

VIII. His diebus, qui processioni non intersunt, sub qua recitent litanias Sanctorum, tenentur eas legere privatim post laudes. Quòd si pridie laudes quis recitet, quidquid dicant aliqui; non potest simul litanias recitare, sed ad hoc expectare tenetur diem sequentem; nullibi enim constat de privilegio pro recitandis pridie his litanis, imò consuetudo contrarium inculcat.

ARTICULUS XVIII.

De festis ascensionis et Pentecostes.

I. SUB festo ascensionis recolimus diem et Christo et nobis valdè gloriosum, siquidem hodie Christus ascendens in altum, secum portaverit carnem nostram, quâ erat indutus, ad dexteram Patris; adeoque hâc die cantantes Filii Dei triumphos, fastidire debemus omnes creaturas, et hoc unum quærere, ut tandem gloriæ Christi adjungamur. En spiritus quo nos in hac festivitate accendi oportet; sic ut eo pleni dicere valeamus cum psalte regio: *quid mihi est in cælo? et à te quid volui super terram?* Hinc Ecclesia sub hac festivitate orat: *concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodiernâ die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus.*

II. Ascensio inter festa, quæ fuerunt ab apostolis instituta, numeratur: de illa loquitur S. Augustinus (1) his verbis: *Domini passio, et resurrectio, et ascensio, et adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur quod servatur ab universa quocumque se diffundit Ecclesia;* illius pariter tanquam festi de præcepto mentionem faciunt constitutiones apostolicæ (2): *die assumptionis vacent.* Hoc festum variis nominibus fuit donatum, *quadragesima* dicitur à S. Augustino (3), eò quòd celebretur quadragesimo die à Paschate. A S. Gregorio Nysseno (4) vocatur *Episomene*, id est, dies salutis, et in sacramentario S. Gregorii, *ascensa Domini.* Solemnia hujus festivitatis sine octava extitisse colligitur ex Radulpho de Rivo, decano Tungrensi, qui scripsit 1390 de officio divino, ubi vocat dominicam quam dicimus infra ascensionem, dominicam post ascensionem. Idem quoque legitur in ordinibus Romanis. Ast meritò tantæ solemnitati mox data est octava, cujus prima dies ritum habet primæ classis, excluditque quodlibet officium occurrens, sic ut præter missam diei, secunda cantari non possit, v. g. Patroni illo die occurrentis. Admittit tamen in utrisque vesperis, laudibus et missa commemorationem diei octavæ duplicis, si cum die ascensionis veniat. Quoad reliquos dies hujus octavæ, non sunt privilegiati; adeoque fit de festis occurrentibus, uti in octavis communibus.

(1) Epist. 118.

(2) Lib. 8. cap. 5.

(3) Sermone 270. al. 92.

(4) Sermone 5. de Resurrect.

III. Ad matutinum officii ascensionis, quilibet psalmus habet suam antiphonam, idque ad majorem officii solemnitatem; undè idem videtur observari in festis solemnissimis Paschæ et Pentecostes; in matutino tamen de Sanctis infra hanc octavam, et die eam sequente, nocturna leguntur sub una tantùm antiphona, ut tempore Paschali. Infra missam solemnem diei ascensionis, ut cantatum est evangelium, in quo refertur ascensio Christi in cœlum, extinguitur cereus Paschalis decreto Pii V (1), et deinceps non accenditur; quo significatur subtractio Christi, lumine hujus cerei signati, à conspectibus discipulorum quando ascendentem in cœlum nubes eum suscepit. Post missam autem dictus cereus amovetur, ac in loco decenti deponitur usque ad vigiliam Pentecostes, quo die fit iterùm illius usus ad fontium benedictionem.

IV. Feriâ sextâ et sabbato post octavam ascensionis, officium aliquo modo continuatur de ascensione sub ritu semiduplici et quasi essent dies infra octavam: undè his diebus ad laudes et vespervas, sive sint de feria, sive de festo semiduplici, non ponitur suffragium de cruce, nec ad primam et completorium preces consuetæ dicuntur. Feria sexta admittit quodvis officium novem lectionum, etiam translatum (2), sed in quo fit commemoratio feriæ, nisi officium foret primæ vel secundæ classis; tunc enim nihil fit in eo de feria. Si cum hac feria occurrat festum simplex, in matutino nona illius lectio legitur, ac il-

(1) De ord. antiph. c. 56.

(2) S. R. C. 11. Aug. 1691.

lius commemoratio in vesperis, laudibus et missa.

V. Vigilia Pentecostes omni tempore celebrata fuit ut vigilia Paschæ, exceptâ benedictione cerei, quæ sub officio hujus vigiliæ locum non habet. Olim officium illius, uti sabbato sancto, fiebat nocte dominicæ, et in ipsam dominicam protrahabatur; ideòque defectu temporis matutinum solvebatur in die Pentecostes tribus tantùm psalmis et lectionibus: et deindè per octavam, quia est continuatio ejusdem festi. Dicitur etiam potest Ecclesiam, per octavam Paschæ et Pentecostes, officium abbreviasse, ne longitudine officiorum neophyti gravarentur. Præterea, sicuti in vigilia Paschæ, ita in hac lectiones habentur in instructionem catechumenorum, baptismus olim solemniter illis conferebatur, et litanie Sanctorum pro illis fundebantur; dictisque litanis quodammodò in communionem Sanctorum introducebantur.

Constat ex *Tertulliano* (1), *S. Hieronymo* (2), *S. Augustino* (3) et *S. Leone* (4), à Pascha usque ad Pentecosten, id est, spatio 50 dierum nullum extitisse jejunium, idque ob lætitiâ temporis Paschalis: hæc praxis hodie viget in quibusdam Galliæ locis, et signanter Carnuti. Sanctus tamen *Ambrosius* sæculo IV jejunium in vigilia Pentecostes servatum fuisse commemorat (5), sed profectò agit de disciplina particulari suæ dice-

(1) De coron. milit. cap. 3.

(2) Epist. ad Lucin.

(3) Epist. ad Casu.

(4) Serm. 1. de jej. Pentec.

(5) In psalmum 109.

esis, nempe Mediolanensis. Interim usu infracto, non jejunandi inter Pascha et Pentecosten, abstinentiâ rogationum, insensibiliter ex devotione erga festum solemnissimum Pentecostes jejunium in illius vigiliam fuit introductum, sic ut sæculo XI ferè ubique in Ecclesia Latina observaretur; de eo enim, ut universaliter recepto, loquuntur *Micrologus* (1) et *Durandus* (2).

VI. Sabbatum seu vigilia Pentecostes excludit omne officium, licet primæ classis; admittit tamen nonam lectionem simplicis occurrentis et commemorationem in laudibus, sed non in missa utpotè solemnè. Color officii in hoc sabbato albus est usque ad Nonam inclusivè. Infra prophetias et fontis benedictionem, pro quarum rubricis (vide dicta sub sabbato sancto) adhibetur violaceus, et ad missam sive solemnem sive privatam ruber. In missa solemnè hâc die non dicitur introitus: undè celebrans, incensato altari, et dicto *kyrie*, intonat *Gloria in excelsis*. In privata verò dici debet introitus more solito, habeturque in missali post missam vigiliæ Pentecostes.

VII. *Festum Pentecostes* umbram sui habet in veteri Testamento, dum nempe quinquagesimo die ab exitu Israël de Ægypto lex inter fulgur et tonitru data est Judæis in monte Sinai; hæc quippè figura signabat mysterium in nova lege complendum, scilicet descensum Spiritus sancti in apostolos; præcisè enim accidit quinquagesimo die à Paschate, seu à transitu Christi à morte ad vitam; deindè id factum est sub sym-

(1) Cap. 55.

(2) Lib. 6. cap. 106.

bolo ignis, quatenus apparuerunt dispersitæ linguæ ignitæ, quæ sederunt supra singulos eorum, ac tandem per Spiritum, quo pleni fuerunt apostoli, lex data est mundo christiano; tunc enim *de Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem, ac in omnem terram exivit sonus eorum* (apostolorum), *et in fines orbis terræ verba eorum*. Dispositio necessaria ad fructuosè celebrandam hanc festivitatem, est cordis mundities; *quoniam in malevolam animam non introïbit sapientia* (spiritus sapientiæ) *nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

VIII. Festum Pentecostes est in Ecclesia celeberrimum, eundemque habet ritum ac Pascha: undè nullum infra octavam compatitur officium extraneum; adeoque festa in illam incidentia sunt transferenda post festum SS. Trinitatis. Præterea tempore hujus octavæ prohibentur missæ votivæ et de requiem.

IX. Ad primas vespertas Pentecostes in majoribus ecclesiis, episcopus seu alter præsul induit pluviale: stans autem in suo loco cantat capitulum, et deindè, omnibus genuflexis præter officiantem, hic stando (1) intonat *Veni Creator Spiritus*, extendens ac elevans manus, moxque eas jungit cum profunda capitis inclinatione (2),

(1) Huic sententiæ favet cær. episc. lib. 2. cap. 10. cæremoniale Papale, lib. 2. sect. 2. cap. 20. item praxis communis et omnes passim auctores. Equidem pontificale Rom. de bened. et consecrat. virginum præscribit episcopo, ut genuflexus intonet *Veni creator*, sed est ritus particularis in illa cæremonia; adeoque nihil indè deduci potest contra rubricam generalem.

(2) Cærem. episcop. lib. 2. de vigilia Nativitatis Domini. Eodem modo ex eodem cær. intonari debet in officiis solemnibus.

et tum flectit usque in finem primæ strophæ, et non ultrà. In ecclesiis autem minoribus, ubi præviè ad vespèras officians non induit pluviale, eodem modo intonationem hymni perficiet, vel ad majorem officii solemnitate sub ultimo psalmo in sacristia assumet pluviale, et si in choro stallum specialem et distinctum habeat, ad illum redibit, aliàs se sistet ad gradus altaris, et ibi, ut suprà, cantabit capitulum, et hymnum dein intonabit, ac post primam stropham erectus stabit ibi usque ad initium cantici altare incensaturus. Idem servari debet in secundis vespèris, et aliis etiam diebus, quando solemniter cantantur.

Hic notari debet, quòd doxologia hujus hymni, seu ultima stropha non sit immutanda, dum præsens hymnus cantatur per annum: hinc in pontificali Romano eadem semper servatur, quamvis præfatus hymnus diversis anni temporibus cantetur sub ordinatione; et ratio hujus est quòd præfatus hymnus, extra octavam Pentecostes dum cantatur, non faciat partem officii; adeòque non subjiciatur regulis de immutanda in officio ultima stropha, ratione temporis vel octavæ.

Ad Tertiam singulis diebus octavæ loco hymni ordinarii ponitur *Veni Creator*, eà ratione quòd tempus proprium Tertix sit hora nona matutina, quâ Spiritus Sanctus illapsus est apostolis.

bus *Ave maris stella*, item in Nativitate Domini: *Jesu Redemptor omnium*; idque juxta dictum cær. ob reverentiam divinæ incarnationis. Ex hac ratione concludunt auctores, idem esse practicandum in festo ascensionis Domini sub intonatione hymni: *Salutis humanæ Sator*.

X. Sabbato ante dominicam SS. Trinitas, celebratâ missâ, ac Nonâ recitatâ, terminatur tempus Paschale; hoc est, quòd deinceps non sit addendum *alleluia* antiphonis, responsoriis, etc., ac psalmi nocturnorum sint recitandi sub suis respectivè antiphonis.

XI. Infra octavam Pentecostes incidunt quatuor tempora æstatis; admodum autem congruè fixa sunt quatuor tempora et ordinatio infra hanc solemnitatem; nam cùm per impositionem manuum in ordinatione conferatur Spiritus sanctus, realiter repræsentatur, imò et renovatur mysterium quod in prima Pentecoste accidit, et hoc tempore quo Ecclesia toto orbe terrarum diffusa communi voto flagitat dona sancti Spiritus.

Quæres quid dicendum de iis, quæ imponuntur ab episcopo neo-ordinatis? Imprimis episcopus imponit presbyteris tres missas post primam legendas, unam, scilicet, de Spiritu sancto, aliam de Beata, et tertiam de *requiem*; diaconus verò et subdiaconus nocturnum talis diei, quæ omnes spondent juxta Pontificale se facturos; adeoque veram induunt obligationem hæc adimplendi: undè 1.º Presbyteri celebratâ pro se primâ missâ (hoc enim suadet maxima congruitas), tres alias ad intentionem episcopi celebrare tenentur, non quidem immediatè post primam, sed diebus opportunis, in quibus liceat legere missas votivas. Si quis tamen velit statim hanc obligationem delere, potest missas de duplici legere, applicando fructum earum ad intentionem episcopi.

Quoad nocturnum, quod diaconis et subdiaconis imponitur, per illud venit nocturnum feriae, seu duodecim psalmi cum antiphonis. Ratio hujus est quòd Pontificale habeat *imponit Pontifex ad subdiaconatum et diaconatum promotis nocturnum talis diei*: porrò sola feria nudè et simpliciter habet nocturnum; festa autem plura; adeòque per nocturnum ordinationis aliud intelligi nequit nisi feriale: adde quòd ordinationi adsint sæculares simul et religiosi variorum ordinum, quorum alii de feria, alii de Sancto recitant, sic ut non possit aliquid commune omnibus assignari, nisi nocturnum feriae. Dixi supra per nocturnum intelligi *duodecim psalmos cum antiphonis*; proindèque substantiam illius non ingrediuntur oratio dominica, salutatio angelica, symbolum, psalmus *Venite*, nec hymnus. Major est difficultas circa lectiones diei, num pertineant ad nocturnum? Negat *Collet*, sed malè ut nobis videtur, quia rubrica habet *lectiones primi vel secundi aut tertii nocturni*. Ergò lectiones ad nocturnum pertinent. Aliud est de hymno *Te Deum*; non est pars nocturni, cum non semper legatur. Ex his inferes sabbato ante dominicam SS. Trinitatis; non psalmos octavæ Pentecostes, sed duodecim psalmos è sabbato esse legendos cum tribus lectionibus diei.

Sed quid si ordinatio fiat in die dominico? Episcopi est assignare nocturnum feriae sequentis seu alterius. Quòd si ex errore dicat nocturnum hujus diei, videtur primum dominicæ esse recitandum, utpotè magis ad feriale accedens.

ARTICULUS XIX.

De festis SS. Trinitatis et corporis Christi.

I. DOMINICA prima post octavam Pentecostes, seu potiùs post illius septimanam, cùm solemnitas Pentecostes complectatur tantùm septem dies (1), habet ritum primæ classis, ac unicè admittit officium SS. Trinitatis, quod in illa et cum illa celebratur sub ritu secundæ classis, sic tamen ut officium totum sit de SS. Trinitate cum nona lectione Dominicæ, et commemoratione illius ubique.

II. Contra *Gavantum*, ubi SS. Trinitas est titulus ecclesiæ, feriâ VI et sabbato post festum corporis Christi, fieri debet officium octavæ corporis Christi cum commemoratione SS. Trinitatis: ratio hujus est, quòd octava corporis Christi sit solemnior octavâ Trinitatis, utpotè privilegiata contra festa duplicia translata, et semiduplicia occurrentia; sicque S. R. C. declarasse refert *Merati* (2). Nec obest quòd in octavario Romano inveniantur lectiones SS. Trinitatis pro dictis feria VI et sabbato: quia editor hujus octavarii, non satis discussâ majori solemnitate festi corporis Christi, abiit in eam sententiam, quòd SS. Trinitas super ea prævaleret. Equidem S. R. C.

(1) Festo Pentecostes deest dies octava; hujus in causa est juxta *Grancolas* ordinatio, quæ olim ita protrahebatur in diem dominicum, ut missa ordinationis simul esset missa dominicalis, deeratque juxta eundem huic dominicæ officium proprium; quare in antiquis liturgiis legitur dominica vacans.

(2) *Merati*, tom. 2. sect. 6. de domin. Trinit. cap. 19.

dictum octavarium approbavit, sed illud approbando tanquam religiosè et debitè ad formam breviarii Romani ordinatum, non ideò opinionem auctoris super præsens dubium confirmasse censenda est.

III. Ante institutionem hujus solemnitatis, equidem Ecclesia singulis diebus laudes dabat Sanctissimæ Trinitati per doxologiam *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, quæ post psalmos dicitur et in responsoriis, necnon in conclusione hymnorum, mutatis tantùm verbis; ast nullus dies per anni cursum huic colendo mysterio, præcipuo fidei nostræ objecto, erat consecratus; hujus defectum sentiens *Stephanus* episcopus Leodiensis sub initio sæculi X instituit officium proprium Sanctissimæ Trinitatis, quod in præcepto posuit *Richarius* ejus successor. E finibus Ecclesiæ Leodiensis mox transiit in dioceses vicinas, perrexitque in Gallias, et tandem sub *Joanne* XXII, Pontifice, locum accepit in Liturgia Romana, fuitque ab eo fixum dominicâ post Pentecosten; tum quia dies illa erat vacans ab officio, ut antè notatum est, tum ut supprimeretur officium de octava, quod quidam in illum diem induxerant; sed fatendum hujus festi institutionem generaliter non fuisse receptam, nisi sub *Benedicto* XIII (1), anno 1405. Imò quædam Ecclesiæ, et signanter Claromontanâ in Avernia, illam non receperunt.

(1) *Petro de Luna*, uno è tribus, qui tempore Concilii Constantiensis Pontificis nomen usurpabant. Contra hos in dicto Concilio electus est *Martinus V.* Acquieverunt duo alii, *Gregorius XII* et *Joannes XXIII*, sed *Petrus de Luna* in schismate perseveravit.

Congruè autem in Ecclesia institutum est festum Dei unius et trini, *ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia*; ab eo quippè conditi sumus, regenerati, sanctificati, ac tandem ab eo salvandi sumus: hinc ministri Ecclesiæ animam dimittentes dicunt ei: *Proficiscere, anima christiana, de hoc mundo in nomine Patris omnipotentis, qui te creavit; in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est; in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est.* Deumque exorantes pro illius salute, et nihil scientes efficacius ad movendam Dei misericordiam in morientem, quam fidem in Deum unum et trinum, dicunt: *licèt enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit.*

Hoc festum, ut agamus juxta Ecclesiæ intentionem, sub illo fide humili magnum et abstrusum Trinitatis mysterium meditari, et spiritu ferventi illud adorare tenemur, ac rogare Deum, quatenùs ad Sanctissimæ Trinitatis contemplationem in cœlis pervenire mereamur.

IV. *Ferid* V. post dominicam SS. Trinitatis, celebratur in toto orbe christiano *festum Corporis Christi*. Hæc festivitas suam debet institutionem virgini *Julianæ*, quæ ortum duxit anno 1193 (1) in *Retinne* pago, à civitate *Leodiensi* duabus circiter leucis distante. Pater ipsius *Henricus* nominabatur: mater verò *Frescenda*: ambo, si non divitiis, quod quidam asserunt, saltem honestate morum commendabiles. His orbata virgo quinquennis, deducta fuit in conventum *Cornelii montis* (2) ubi licèt vilibus dicata officiis no-

(1) Juxta *Chapeauville* anno 1191.

(2) Mons *Cornelii* jacet ad radices domùs olim *Præmonstratcm. III.*

bilem in Deo vitam egit, sed inter pias exercitationes, quibus Deo serviebat, singulari devotione rapiebatur erga mysterium corporis Christi: undè meruit dignari cœlesti hac visione: frequenter videbat lunam radiantem, sed in medio diametraliter secatam lineâ obscurâ et nigrâ. Ad detegendum hujus apparitionis arcanum, solitò ferventiores ad Deum preces fundebat. Tandem exaudita à Deo intellexit lunam figurare Ecclesiam militantem; lineam verò defectum solemnitatis, sub qua recoleretur institutio SS. Sacramenti corporis et sanguinis Christi. Ast obstupuit virgo humilis, dum simul audivit se electam ad illud opus perficiendum; docilis tamen voci divinæ, manum operi admovit, et consultis hâc super re viris pietate et doctrinâ conspicuis, ac votis eorum freta secretum cœleste aperuit. Verùm res gravissimas passa est difficultates, et *Julianam* ipsam injecit in tribulationes multas et persecutiones; quibus tamen non obstantibus exiit Edictum anno 1246 à *Roberto* episcopo Leodiensi, ut ab omnibus hoc

torum, nunc Carthusianorum, ferè sub muris Leodii, intrâ parochiam S. Remacli ad pontem. Ibi erat conventus virorum pariter et mulierum, quibus primitus incumberebat leprosis inservire. Nunc adhuc existit, sed sub aliis constitutionibus. Extat ibidem ecclesia, ubi in gratiam fratrum et sororum missarum solemnitas ac officia divina quotidie celebrantur. Hæc ecclesia nuper à fundamentis fuit erecta sub forma elegantissimi, sed illi manet annexum sanctuarium structuræ antiquissimæ, ita ut verosimiliter sit illud ipsum, in quo *Juliana* toties secretas cum cœlo communicationes habuit. Talis est locus in mundo christiano celebris, ratione oraculi è cœlo delapsi ad *Julianam*, ut suscitaret in Ecclesia solemnitatem corporis Christi.

festum in dioecesi celebraretur. Huic, aliis reclamantibus, soli canonici ecclesiæ collegiatæ. *S. Martini* intrâ muros civitatis paruerunt; ita ut primum SS. Sacramenti officium anno 1247, vivente adhuc *Juliana*, in illa celebri ecclesia fuerit solemniter decantatum.

Res, aliis pro aliis contrâ sentientibus, in illo statu permanserunt, donec, mortuâ jam *Julianâ* anno ætatis circiter 67, et sepultâ in monasterio vulgò *Villers* in confiniis Brabantiæ, *Urbanus IV*, qui archidiaconus olim fuerat in ecclesia Leodiensi, et audierat de rationibus hujus festivitatis instituendæ, illam approbavit, ac officium proprium pro universa Ecclesia instituit, cui ritum indulisit primæ classis cum octava, insuper et imponens obligationem feriandi primum diem octavæ seu feriam V post dominicam SS. Trinitatis. Hâc super re sub data 8 Septembris, pontificatûs sui anno V, breve misit ad *Evam* (1), in quo, ut laudes dedit pio ipsius zelo erga institutionem præsentis festi, nuntiat ei operis illius consummationem.

V. Duplex fuit editum SS. Sacramenti officium. Primi auctor fuit quidam *Joannes* clericus in monte *Cornelio*; hoc, ut vidisset *Juliana*, approbavit: undè quidam inferunt hanc virginem linguæ latinæ penitùs ignaram non fuisse. Hoc officium in ecclesia *S. Martini* per plures annos celebratum fuit; ast quia dispositio illius non quadrabat cum forma breviarii Romani, *Urbanus IV* aliud componi jussit, quod communiter san-

(1) *Eva*, virgo solitaria in monte *S. Martini* intrâ muros Leodii, *Julianæ*, dum vivebat, erat intimè unita, secretorum illius conscia, ac multùm accensa erga festi institutionem.

cto Thomæ tribuitur, illudque est quod jam in breviario Romano legimus; putantque aliqui multa ex primo officio in hoc servata fuisse; sic ut S. Thomas non fuerit saltem totius hujus officii auctor, sed illius redactor ad formam ritûs Romani. Nonnulli advertunt antiphonam in missa venerabilis Sacramenti, quæ *communio* dicitur et in qua leguntur hæc verba terrore plena: *itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini*, malè sonare in ore sacerdotis immediate post illius communionem, sed magis adhuc repugnat vox exultationis *alleluia*, quæ formidabilem illam sententiam subsequitur. Profectò hæc sequens formata ex verbis Christi spe et consolatione refertis meliùs conveniret: *qui manducat hunc panem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Alleluia.*

VI. Octava corporis Christi est una è quinque privilegiatis, excluditque officia semiduplicia occurrentia, necnon duplicia translata, modò non sint primæ vel secundæ classis; de his enim officium fieri potest die infra octavam non impedito festo duplici: excipe tamen dominicam infra octavam et diem ipsam octavæ, in quibus reponi nequit officium translatum quantumvis solemne. Aliquid hic speciale statuitur pro festo S. Joannis-Baptistæ dum occurrit in festo corporis Christi: in secundis vesperis SS. Sacramenti fit illius commemoratio, et die sequenti officium (1), sicque feria VI in tali casu censetur quasi

(1) Si festum S. Joannis-Baptistæ, sive aliud ex solemnio-

dies propria *S. Joannis*, sed quoad solum officium; nam feriatio manet feriâ V, agiturque simul cum festo corporis Christi, proindèque tunc octava *S. Joannis* perdit unum diem.

VII. Alia privilegia hujus festi sunt sequentia: 1.^o fit commemoratio octavæ corporis Christi in vesperis, laudibus et missa, quovis festo in ea occurrente, etiam primæ classis. 2.^o Dies octava excludit festum occurrens secundæ, non primæ classis (1). 3.^o Quamvis infra octavam fiat commemoratio simplicis, in matutino nona illius lectio non ponitur: excipe nisi illo die fiat de Sancto; in hoc enim casu legitur, nisi officium Sancti haberet ritum primæ classis. 4.^o Infra hanc octavam non celebrantur missæ votivæ neque de *requiem*, præter solemnes, ob publicam causam et ex indicto episcopi, ac exequiales præsentem corpore.

VIII. Quod etiam non parùm conducit ad illustrandam hanc festivitatem sunt processiones cum delatione SS. Sacramenti, illius expositio, ac frequentiores cum eodem benedictiones, quæ omnia speciali apparatu Leodii observantur; cùm enim populus Leodiensis non immeritò gloriæ sibi du-

ribus venerit in die corporis Christi, officium *S. Joannis* singulari privilegio transfertur in sequentem diem à quocumque die duodecim lectionum etiam impeditam, cum commemoratione octavæ, sed in secundis vesperis corporis Christi fit commemoratio tantùm sancti *Joannis*. Cætera verò festa solemniora occurrentia in dicta die corporis Christi transferantur infra octavam in prima die non impedita. S. R. C. 23 Jun. 1736. In hoc decreto dicitur duodecim lectionum, quia datum est ad instantiam abbatis monasterii Einsidlen, in cujus breviario matutinum habet duodecim lectiones.

(1) S. R. C. 30 Maii 1699.

cat festi hujus institutionem, æquum est ut speciali cordis dilatione illud celebret: undè præter solemnissimam ecclesiæ cathedralis processionem in die festi, in ecclesia collegiata *S. Martini* et montis *Cornelii*, ubi hæc festivitas concepta est, per totam octavam à solis ortu in occasum habetur SS. Sacramenti expositio, et singulis diebus sermo super mysterium maximo cum populi concursu. Et cum omnes ecclesiæ parochiales in die festi decenter processiones simul habere nequeant, cuilibet assignata est una è dominicis sequentibus, vel altera dies ad agendam processionem solemnem cum delatione SS. Sacramenti. Sed hic diligenter est advertendum, quòd hoc indultum præcisè involvat processionem: undè Clerici adscripti ecclesiæ parochiali ubi festum Theopheriæ agitur, non possunt legere vel cantare officium SS. Sacramenti, sed currens in calendario, imò in die dominico vel festivo nec missam de SS. Sacramento (1), prout diximus in nostris observationibus in missam, t. I. part. 1. art. III. n. III. in fine.

IX. Rubricæ hujus diei nihil habent speciale: unde officium est celebrandum more ordinario. Equidem in his partibus sub fine hymni ad vesperras et laudes datur benedictio cum SS. Sacramento pariter et in missa sub fine prosæ, *Lauda Sion*, sed est praxis introducta præter rubricas; siquidem de hoc nulla mentio fiat sive in illis, sive in decretis sac. Congreg. Interim cum hæc praxis nullibi etiam positivè reprobetur, retineri posse videtur. Ubi infra hanc octavam Horæ cantantur coram exposito SS. Sacramento, non

(1) S. R. C. 8. Martii 1749.

tantum lentiùs sunt persolvendæ, sed et infra illas omnes detecto capite stare debent.

Quæres quid dicendum de frequenti expositione SS. Sacramenti, et benedictione cum eodem?

R. Quamvis dogma sit fidei SS. Sacramentum corporis Christi in templis exponi posse, ac à fidelibus adorari debere cultu patriæ (1); tamen absque hujus dogmaticis læsione dici debet cum communi auctorum sententia, nimis frequentem Eucharistiæ expositionem esse improbandam; eò quòd nata sit minuere devotionem ac reverentiam huic maximo debitam mysterio: experientia enim quotidianâ constat omnia usu vilescere, ac etiam sacratiora, nisi singulari præcautione tractentur: hinc in multis diocesisibus, extra octavam corporis Christi, nefas est exponere SS. Sacramentum. Quòd si aliqua gravis causa postulet illius expositionem, res est deferenda ad episcopum, qui post diligentem illius discussionem indulget vel negat petitam licentiam. Hæc autem dispositio est conformis decisioni sacræ Congregationis concilii, quæ censuit non licere regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab ordinario, addit tamen ex causa privata posse, dummodò SS. Sacramentum tabernaculo non extrahatur, et sit velatum; ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit (2). Optandum sanè foret ut in his partibus, ubi frequentissimè exponitur, modus aliquis in hoc poneretur; multò melius est,

(1) Trid. can. 6. sess. 13. de Eucharistia.

(2) Bened. XIV. tom. I. institutione 50.

aiebat quondam *Antonius Albergattus*, nuncius apostolicus, nempè dum in diœcesi Leodiensi nomine et auctoritate Pontificis agebat (1), *multò melius est, ut non ita frequenter exponatur, et tunc cum debita reverentia, quàm, ut frequentius et sine debito obsequio, et reverentiæ significatione id fiat, ut, cum nostra animi commotione, multis in locis exponi videmus et invenimus.*

Non minor abusus irrepsit circa benedictiones cum SS. Sacramento; in nonnullis enim ecclesiis, singulis diebus datur benedictio post primam missam, renovatur post ultimam, ac repetitur semel aut iterùm inter preces vespertinas. Præterea toties quoties communio distribuitur, contra apertam rubricarum dispositionem populus cum sacra Pyxide signatur. Quid dicam de iis quæ sine fine multiplicantur in omnibus platearum angulis, dum Sacramentum ad ægrotos defertur, idque contra regulam ritualis Romani, in quo una tantùm præscribitur danda super ægrotum, et altera super populum, antequam S. Pyxis recondat? Profectò tanta benedictionum frequentia tendit in despectum SS. Sacramenti, indèque non absque gravi offensione plurimi videntur sub illis vix aut ne vix quidem genua ad terram curvare.

Ad rectores igitur ecclesiarum spectat hoc abusus, si non simul et semel, saltem paulatim, sed efficaciter resecare. Quoad expositiones SS. Sacramenti, id attentare poterunt exponendo diebus dominicis, et aliis, non solemmissimis, sacram Pyxidem loco Remonstrantiæ. Quoad benedi-

(1) In actis visitationis, anno 1613, circa sacrificium missæ.

ctiones, stent rubricis et dispositiōni ritualis supra citati; indè profectò nemo eis litem movebit.

X. Pro coronide hujus articuli subjiciemus quædam decreta ad præsens festum spectantia.

SS. *Eucharistiæ Sacramentum in processione quæ fit in festo corporis Christi, deferri debet ab eo qui missam celebrat, et idem servandum est in processione quæ fit die dominico infra octavam ejus.* S. R. C. 23 Martii 1709. Excipe tamen, juxta cærem. episc., episcopum, qui si ex causa non celebraverit, nihilominus infra processionem deferre debet venerabile Sacramentum.

Non possunt regulares processiones facere extra ecclesiam in feria V. in cæna Domini, nec in festo corporis Christi extra eorum jurisdictionem, et per parochiam alienam. S. R. C. 11 Decemb. 1613.

In ecclesiis regularium habentibus claustrum fiant processiones intrà claustra tantùm; si verò non habeant claustra, fiant prope muros ecclesiæ, sive eundo ab una porta et intrando per aliam ecclesiæ portam, vel per eandem. S. R. C. 26. Feb. 1628.

Extra ambitum ecclesiæ non licet regularibus facere processiones, nisi de licentia et consensu parochi, salvis privilegiis, si quæ sint; processiones verò confraternitatum non debent extendi per vias, sed circa muros regularium qui eas regunt. S. R. C. 26 Feb. 1628.

Capellanus confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia episcopali processiones facere. S. R. C. 4 Martii 1606.

Potest episcopus compellere regulares etiam per censuras, ut accedant ad publicas processiones. S. R. C. 4 Martii 1609.

Associans processionem SS. Sacramenti gaudet immunitate ecclesiastica. S. R. C. 30 Sept. 1636 (1).

ARTICULUS XX.

Annotationes quædam in festa Sanctorum.

I. DOMINICA II post Epiphaniam fit officium SS. nominis *Jesu* sub ritu duplici 2 classis. Dum autem hæc dominica impeditur festo altioris ritus, vel dum anticipativè celebratur, ut locum cedat septuagesimæ, in his casibus officium SS. nominis transfertur in 28 Januarii tanquam diem propriam (2).

II. Die 21 Januarii fit festum *S. Agnetis* virginis et martyris duplex. Hujus festi officium, si quotannis impediatur festo majori, transferri debet in primam diem non impeditam tanquam diem fixam; tamen non est reponendum in diem 28 ejusdem mensis, si ante hunc non detur dies vacuus, sed ultrafigenda est sedes illius. Dum autem festum *S. Agnetis* celebratur post diem 28 Januarii, die 28 faciendum est officium *S. Agnetis* secundò ut in breviario, quia non est dies octava festi ejusdem *S. Agnetis*, sed festum particulare et distinctum, in quo recollitur apparitio hujus virginis parentibus suis et *Constantiæ* (3).

(1) Hoc decretum reperitur apud *Pignatelli*, p. 1. de immunit. eccles. et apud *Viccium* in synopsi decretorum dictæ Congreg: verbo *immunitas localis* sub. n. 4.

(2) S. R. C. 5. Maii 1736. Habes hoc decretum citatum sub n. 2. sequenti.

(3) Si die 21 Januarii occurrat in aliquibus locis festum aliqujus Sancti particulare sub ritu duplici, v. g. *S. Meinradi* apud Benedictinos, faciendum est officium de tali Sancto, et

Ubi verò festum *S. Agnetis* à sua sede amovetur per accidens, transferri debet ad primum diem non impeditum, etiam 28 Januarii, si antè dies non sit vacuus; casu autem quo celebratur 28.^a nihil fiet de *S. Agnete* secundò, exceptà lectione hujus propriâ, quæ sic legi posse videtur: in secundo nocturno officii uniantur per modum unius secunda et tertia lectio, deindè pro tertia assumatur propria *S. Agnetis* secundò (1). *9 Febr. debet otium esse libera quia festum Pro-*

III. 23 Februarii fit de vigilia *S. Mathiæ*; si hæc vigilia inciderit in feriam tertiam ante cineres, licèt transferatur officium *S. Mathiæ*, nihilominus dictâ feriâ tertiâ dicitur officium vigiliæ: secundæ autem vespere recitantur de feria cum precibus et oratione Dominicæ præcedentis. Ita rubr. general. tit. de precibus, num. 5.

IV. 25 Aprilis *S. Marci* evang. duplex 2 classis: hâc die etiam occurrunt litanie majores, sic dictæ juxta *Martene*, quia majori cum sole-

transferendum est officium *S. Agnetis*, quod occurrit eadem die, cui assignari debet aliqua dies fixa, quæ tamen non sit 28 Januarii, ne festum SS. nominis Jesu, quod celebratur dominicâ 2 post Epiphaniam, aliquando occurrat in eadem dominicâ, quæ est septuagesimæ; ideòque ne illud festum celebretur intra quadragesimam (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28 Januarii, in quam id tunc erit transferendum. Quando autem agatur festum *S. Agnetis* secundò, fiet de eo commemoratio tanquam de simplici, nullo habito respectu quòd festum ejusdem solempne prius non fuerit celebratum. S. R. C. 5 Maii 1756.

(1) Sub missa festi *S. Agnetis* summus Pontifex benedicit duos agnos viventes, qui deindè traduntur nutriendi in aliquo conventu monialium, donec lana creverit; ex illa autem pannus conficitur, et ex panno pallium in usum Pontificis, seu patriarchæ, aut archiepiscopi.

mnitate et populi concursu, quàm litanïæ rogationum, quæ minores ideò, olim celebrabantur. Quando festum *S. Marci* occurrit cum die Paschatis, litanïæ seu processiones transferuntur in feriam tertiam sequentem (1). Quando verò infra octavam Paschæ, etiam feriâ secundâ, transfertur secundùm rubricas ultra octavam officium *S. Marci*; sed litanïæ manent affixæ 25 Aprilis (2). Ubi celebrantur duæ missæ, prima dicitur de die sine commemoratione missæ rogationum; secunda verò de rogationibus, in qua secunda oratio *concede*, et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa: in ea dicitur præfatio Paschalis, et si infra octavam Paschæ celebretur, legi debet *communicantes* proprium, et *hanc igitur oblationem*. In hac missa omittuntur *Gloria* et *Credo*, etiamsi celebretur infra octavam Paschæ vel die dominico (3), quia missa est ferialis. Tandem infra octavam Paschæ, in ea dicitur *benedicamus Domino* sine *alleluia*, quia hæc vox solis debetur missis Paschalibus. De his omnibus sufficienter

(1) Rubr. miss. Rom. ante missam *S. Marci*.

(2) Ex decreto Synodi prov. Mechl. an. 1607 tit. 15. Cap. 6 festum *S. Marci*, si in hebdomada Paschæ, vel in dominica *Quasimodo* evenerit, celebratur hic feria quarta post *Quasimodo*. Si verò in aliam dominicam inciderit, festum quidem servatur ipsa die dominica, sed processio, abstinencia à carnibus per totum diem (et tunc temporis jejunium usque ad prandium) servantur die sequenti. Quod si verò in feriam quartam post dominicam *Quasimodo* translatum, cum festis *SS. Philippi* et *Jacobi*, aut *S. crucis* concurrerit, processio et abstinencia, ut suprâ, in feriam quintam transferuntur.

(3) Occurrente festo *S. Marci* die dominico, in missa rogationum non dicitur *Credo*, quia est missa ferialis. S. R. C. 25 Sept. 1688. Item eadem Congr. occurrente festo *S. Marci* infra octavam Paschæ, in missa rogationum non est dicendum *Credo*. 5 Julii 1693.

constat; sed major est difficultas pro locis in quibus una tantum missa celebratur. Hæc super re extant duo decreta, quæ referemus ad expiscandum ex iis aliquam resolutionem. Primum sic habet: *Si in die S. Marci post processionem, in ecclesia minori seu non collegiata, cantetur unica missa, ipsa debet esse de rogationibus, et servanda est rubrica miss. Rom. posita ante missam festi S. Marci, ubi præscribitur quòd de prædicto Sancto cantanda est missa tantummodo, quando processio terminatur ad ecclesiam eidem Sancto dicatam, quemadmodum cavetur in cær. Episc. S. R. C. 25 Maii 1605.* Alterum verò sic sonat: *In festo S. Marci, vel respectivè in feriis rogationum, si fiat de officio dup. vel semidup., in locis ubi tantum una missa cantatur, pro majori populi commoditate, ut possit post processionem vacare laboribus, convenientius est processionem facere post Nonam, et inde cantare missam rogat. S. R. C. 5 Maii 1756.* In his decretis, ut attendenti patet, agitur tantum de missa quæ cantatur post processionem: undè dicendum videtur, quòd si missa ante illam cantetur, cantari debeat de festo occurrente; quia in hoc supposito est missa conventualis seu parochialis, et non rogationum. Si tamen festum compateretur missas votivas, videtur esse liberum cantare missam rogationum. Si autem cantetur post processionem, quod, quantum fieri potest, ut supra insinuatur practicandum; missa erit cantanda de rogationibus, cum commemoratione festi currentis.

V. Sic *Durandus* episcopus Mimatensis in Gallia (1) institutionem litanie *S. Marci*, seu potius 25.^x

(1) Lib. 6. cap. 102. de rogat. n. 2. et seq.

Aprilis refert ex *Paulo Montiscassini* monacho Longobardorum historiographo. Ætate *Pelagii II.* mense Novembri anni 589 tanta fuit inundatio Tiberis per Italiam, ut aquæ ascenderint usque ad superiores fenestras templi *Neronis*, quod Romæ extabat, non sine magno totius urbis ruinæ periculo; aquæ autem cùm recessissent, talem reliquerunt in terra et aëre infectionem, ut inde exortâ peste mortiferâ multi subito perirent, alii sternutando (undè dum quis audiebat aliquem sternutantem, ei dicebat *Deus te adjuvet*, indeque mos benè apprecandi iis, qui sternutant); alii autem subito moriebantur oscitando; quare dum aliquis ad oscitandum movebatur, statim signum crucis ad os imprimebat, ut à morte servaretur, indeque nata consuetudo se signandi ad oscitationes. Hâc calamitate motus *Pelagius* indixit jejunium et litaniam, sed infra processionem extinctus est: *Gregorius* autem magnus, ejus successor, dolore pariter captus ob horrendas hujus pestis strages, quâ totus penè populus Romanus debebatur, solemnem instituit processionem quæ et litania septiformis dicebatur ob septem turmas, seu classes, in quas populus dividebatur: primam classem componebant clerici, 2.^{am} religiosi, 3.^{am} moniales, 4.^{am} pueri sub ecclesiasticis conductoribus, 5.^{am} laïci perfectæ ætatis, 6.^{am} viduæ et continentes, 7.^{am} tandem conjugati. Hæ turmæ conveniebant in diversis locis, et ita cautè procedebant, ut omnes simul venirent ad Basilicam *S. Mariæ Majoris*; indeque simul exeuntes circuibant civitatem *kyrie eleïson* cantantes; cùmque per tres dies continuos has litanias egissent, calamitas illa cessavit. Ab in-

stitutione hujus litanie nonnulli reponunt originem majorum litaniarum quæ fiunt 25 Aprilis, sed infundatè; nam constat antiquiores esse *Gregorio Magno*, et consequenter litaniam ipsius septiformi: ipsemet quippè *Gregorius* de iis loquitur tanquam de re jam usitata, his verbis (1): *Solemnitas annuæ devotionis, filii charissimi, admonet ut litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, sollicitis ac devotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare, ubi solemnitas annuæ devotionis;.. major ab omnibus appellatur*, supponunt rem jam usitatam. Aliundè litaniam septiformis celebrata fuit IV calendas Septembris, seu 29 Augusti, cum alia sedem habeat in VII calendas Maii, seu 25 Aprilis; indèque infert *Gerbertus* (2) esse omninò disparas; quare concludendum contra eos qui *S. Gregorium* litanie nostræ majoris faciunt auctorem, quasi hæc ab eo fuisset substituta septiformi, quæ cessante causâ etiam cessavit, illam esse dicto Pontifice antiquiorem. A quo, quando et quâ de causâ fuerit instituta, penitus ignoratur. Certum tamen videtur nunc fieri eâdem ratione ac litaniam minor, nempe pro frugibus terræ, et malis à republica avertendis. Hicque finaliter observari potest, in hanc litaniam, quamvis denominetur communiter *S. Marci*, festum hujus evangelistæ nullum habere influxum, nec ullam cum illa connexionem, cum constet observatam fuisse 25 Aprilis, antequam festum *S. Marci* sedem ibi figeret.

VI. Feriâ VI post dominicam passionis celebratur festum septem dolorum B. M. V., pro

(1) Epist. 1. lib. 2 sui registri.

(2) De liturg. Almanica, p. 3. disquis. 10. n. 10.

quo removentur seu transferuntur duplicia majora et minora in illum fortè diem incidentia. Si verò dictâ feriâ VI occurrat festum majus, v. g. primæ vel secundæ classis, fit de illo, et transfertur officium septem dolorum in sequens sabbatum. Quòd si dictum sabbatum sit similiter impeditum festo primæ vel secundæ classis, eo anno omittitur officium septem dolorum; nam post Pascha transferri nequit (1). Quando autem accidit festum septem dolorum concurrere cum festo annuntiationis B. M. vel è contrà, vespere, in utroque casu, ponuntur de annuntiatione sine commemoratione septem dolorum (2). *Vide ante dicta de hoc festo, art. VIII. n. VIII.*

VII. † Maii fit de SS. apostolis *Philippo* et *Jacobo*. Quando unus est patronus, v. g. *S. Philippus*, alter non, dividi debet officium, ut sequitur: primâ Maii fit officium de solo *S. Philippo*; lectiones primi nocturni sumuntur de Comuni apostolorum. In secundo prima legitur propria *S. Philippo*, et alia duæ sumuntur de Comuni. Lectiones tertii nocturni, et antiphonæ ad laudes dicuntur ut in proprio festo. Officium autem *S. Jacobi* quod celebrari debet primo die non impedito infra octavam, sic componetur: lectiones primi nocturni dicentur de epistola *Jacobi*, ut in die festi: secundi duæ primæ propriæ, tertia de Comuni, et tertii pariter de

(1) Si festum de septem doloribus B. M., quod multis in locis celebratur feriâ VI post dominicam passionis, impediatur ab officio altioris ritus, vel majoris dignitatis, transferatur in sabbatum sequens non impeditum, et non ulterius. S. R. C. 26 Feb. 1693. *Hoc decretum reperitur initio breviarii Romani ad usum Capuccinorum, et à Merati refertur.*

(2) Eadem congreg. 5 Sept. 1672.

Communi *ecce nos reliquimus omnia*. Antiphonæ tandem ad laudes de Communi apostolorum tempore Paschali. Missa *S. Philippi* erit ea quæ in missali habetur sub prima Maii, cum orationibus ejusdem, sed in numero singulari. Sancti verò *Jacobi*, si festum celebretur infra octavam *S. Philippi*, missa sumi poterit, ut in festo *S. Marci*, exceptis epistolâ et evangelio, quæ concordare debent cum officio, necnon orationibus, quæ assumi debent de *S. Jacobo* majore 25 Julii, mutatis mutandis. Quòd si festum *S. Jacobi* celebretur extra octavam *S. Philippi*, ordinatur ut suprâ officium, sed dici poterit oratio propria in singulari. Quoad missam, assumi poterunt è propria, introitus, orationes, ponendo eas in singulari, epistola et offertorium, sed evangelium erit *ecce nos reliquimus*, etc. ut tertiâ Julii infra octavam apostolorum *Petri et Pauli*, et communio *letabitur justus*, ut vigesimâ quintâ Aprilis in festo *S. Marci*.

VIII. 3 Maii inventio *S. Crucis*: si accidat festum transferri extra tempus Paschale, nihilominus in hymno *Vexilla* dicetur *in hac triumpho gloria*. In matutino sumuntur antiphonæ ex officio exaltationis ejusdem *S. Crucis*, præter primam primi et secundi nocturni, quæ retineri debent. Missa dicitur ut in festo dictæ exaltationis præter orationes, evangelium et offertorium, quæ sunt inventioni propria. In antiphonis tandem officii omitti debet *alleluia*, nisi in officio exaltationis inveniantur.

IX. 8 ejusdem apparitio *S. Michaëlis*. Dum hoc officium transfertur post tempus Paschale, fit ut in dedicatione ejusdem *Michaëlis*, sub die 29

Septembris: retineri tamen debent lectiones secundæ et tertiæ nocturni, ac responsoria, ex illis dempto *alleluia*.

X. 23 Junii vigilia *S. Joannis-Baptistæ*, ubi jejunium in hac vigilia servatur, quando occurrit cum festo corporis Christi, ne hujus magnæ solemnitatis lætitia jejunio perturbetur, est anticipativè servandum 22 Junii (1). Die 24 fit officium ejusdem *S. Joannis* sub ritu primæ classis cum octava; de quo redibit sermo dum agetur de octavis. Interim hîc notari potest quòd canticum *Benedictus* non sit incipiendum per ultima verba antiphonæ, scilicet *Benedictus Deus Israël*, sed ponenda est antiphona integra, et deindè intonandum canticum per primum ipsius verbum.

XI. 30 Junii est commemoratio *S. Pauli*: dum autem transfertur, ita ut hoc festum habeat primas vespèras, sumendæ sunt è breviario, ubi assignantur pro ecclesiis propriis, scilicet *ego plantavi*, etc.

XII. 16 Augusti *S. Hyacinthi* duplex, de quo recitandum est officium, et missa celebranda, licèt hâc die colatur ex devotione *S. Rochus*, et in honorem ipsius processiones agantur. Circa cultum hujus Sancti, diligenter observari debet *S. Rochum* non esse canonizatum, sed solùm inter Beatos habitum in concilio Constantiensi 1414. Porrò est principium, quòd pro cultu San-

(1) Si vigilia *S. Joannis-Baptistæ* incidat in solemnitate corporis Christi, non est eo die jejunandum nec abstinendum à carnibus in festo hujusmodi, sed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe feriâ IV. S. R. C. 24. Sept. 1638. Hoc decretum fuit approbatum ab *Urbano VIII.* constitutione *Cum eveniret*.

eti tantùm beatificati rigorosè sit standum verbis indulti, hoc est, quòd si indultum afficiat certa loca, in illis dumtaxat juxta tenorem verborum publicè coli possit; si verò sit personale, et afficiat certas personas, ab illis et non ab aliis publicè tantùm honorari potest officio et missarum celebratione. Hoc posito, indultum respectu *S. Rochi* tantùm permittit, ut in ecclesiis, in quibus est patronus, officium de eo fieri possit et missa (1): undè vi hujus indulti sacerdotes extranei ad tales ecclesias confluentes, v. g. in die festivo illius, possunt de eo missam legere, quia indultum est locale. In aliis autem, ubi præfatus Sanctus non est patronus, quamvis speciali devotione colatur nec officium, nec missa de eo legi potest, quod diligenter est ab omnibus notandum. Imò infra missam de alio Sancto, vel infra officium vespertinum cantari nequit antiphona ei propria, vel oratio; id enim iadulto videtur adversari. Nec obest quòd in graduale Romano missa de *S. Rocho* ponatur. Nam ponitur ad mentem decreti, scilicet pro locis ubi est patronus, uti videre est in graduale impresso Leodii anno 1772.

XIII. 24 Augusti fit de *S. Bartholomæo* apostolo; ubi est patronus dum in vesperis et laudibus ponitur illius suffragium, pro oratione assumi debet secreta missæ illius, mutando in illa

(1) Officium et missa *S. Rochi* conceditur tantùm in ecclesiis ad ejus honorem Deo dicatis. S. R. C. 16 Junii et 26 Nov. 1629. Idem fuit confirmatum ab eadem Congreg. 10 Januar. 1695 his verbis: De *S. Rocho*, licèt ejus festum servetur ex devotione, attamen non potest de eo recitari officium et celebrari missa, nisi in propriis ecclesiis eidem Sancto dicatis.

verbum *Solemnia in memoriam*; oratio enim officii vix aut ne vix adaptari posset, sic ut verificaretur extra diem festi (1).

XIV. 1.^a Octobris *S. Remigii* semidup. ad libitum, si occurrat in dominica vel infra octavam, omittitur illius officium quà semidup. et fit tantum de eo quà simplici, prout ponitur in ordine breviarii (2). Quòd si occurrat cum festo primæ classis, nihil quidquam fit de eo, ut dicetur in fine hujus articuli.

Dominicâ 1.^a in Octobri fit officium *SS. Rosarii*; si autem illo die impediatur, non est transferendum ad aliam dominicam, sed de eo faciendum primo die non impedito juxta regulas communes de translatione festorum. Idem dic de festo *S. Joachim*, dominicâ infra octavam assumptionis B. M. V. Idem de festo *SS. nominis Mariæ*, dominicâ infra octavam Nativitatis ejusdem. Idem de festo patrocinii B. M. V. incedente in dominicam 1. Novembris.

* (1) Dominica 3 Septembris celebratur festum VII Dolorum B. M. V. Cùm vero in ea dominica occurrit octava Nativitatis B. M. V., aut festum S. Matthæi apostoli vel dies octava patroni, Titularis, aut dedicationis, festum Dolorum transfertur in primam ex sequentibus dominicis, quæ non sit impedita officio ritus 1. vel 2. classis aut alio festo ejusdem B. M. V. sub eodem ritu duplicis majoris. Præterea S. R. C. per modum regulæ generalis declaravit, quòd impeditâ dominicâ 3 præfatum festum VII Dolorum transferri debeat in proximiorum dominicam etiamsi incidat cum festo ritus duplicis minoris, dummodò non sit dies octava patroni, etc. Consule Decret. SS. D. Pii VII. 18. Sept. 1814 in collectione sub. n. 619. et Decret. S. R. C. 19 Aug. 1817 sub n. 626.

(2) Si officium ad libitum non potuerit celebrari, et habuerit etiam ritum simplicem de præcepto, eo anno non omittatur, sed celebretur ritu simplici. 13 Junii 1682.

XV. 1 Novembris solemnitas est omnium Sanctorum, cujus origo figitur anno 837, quando Greg. IV Romæ dedicavit capellam in honorem Salvatoris, B. M. V., SS. apostolorum, martyrum et omnium Sanctorum. Post secundas vespervas hujus diei, cantantur vespere defunctorum ritu duplici. Ante has vespervas apponendum est antependium nigri coloris ad altare, sed absoluto defunctorum officio, ab illo removendum est, saltem si aliud officium sequatur, ut completorium (1). In his vespervis et laudibus ejusdem officii omitti debent psalmi *Lauda, anima mea, Dominum* et *De profundis*: horum omissio etiam locum habet in die depositionis seu obitus, quando officium pro defunctis legitur seu cantatur; sed extra hos duos casus, prædicti psalmi

(1) Ne perturbetur, et in luctum vertatur sono lugubri campanarum, et cantu officii defunctorum magna et festiva solemnitas omnium Sanctorum, mutari posset auctoritate publicâ dies assignatus defunctis in feriam secundam post dominicam infra octavam omnium SS.; et in supposito quòd dies octava incideret in sabbatum, vel in dominicam, dicta commemoratio pro defunctis tunc reponeretur in feriam secundam sequentem, cum officio integro pro iis absque permixtione alterius officii prout practicatur in variis locis, et signanter in diocesi Parisiensi, et Rothomagensi. Sic autem ordinari posset hoc officium pro conficiendis parvis Horis. In initio poneretur more solito *Pater noster* et *ave*; deinde legerentur tres psalmi consueti sub antiphona desumenda è laudibus, vel matutino aut vespervis. In fine psalmorum omitteretur *Gloria Patri*, et loco hujus versùs diceretur *requiem æternam*. Repetitâ antiphonâ post psalmos adjiceretur ps. *Miserere* cum *requiem* in fine, et postea ad concludendam quamlibet Horam *kyrie eleison* et reliquam ut in fine vespervarum; eodem modo posset adaptari completorium. Hoc medio satisfaceret devotioni fidelium, quippè qui die dominico possent orare pro defunctis, uti nunc in die SS. omnium, et intacta maneret solemnitas dictorum SS.

inter preces recitari debent, sive officium ponatur integrè sive non, sive sub ritu duplici, ut in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario, sive non (1).

In locis, ubi viget consuetudo cantandi immediatè post vespèras matutinum cum laudibus pro defunctis, hanc servari posse declaravit S. Congregatio (2).

Quando in secunda Novembris occurrit dominica, transfertur ritu Romano officium defunctorum in tertiam ejusdem mensis, nisi fortè dies tertia sit festum in populo; tunc enim erit in quartam. Verùm in hac diœcesi, cum breviarium particulare admittat defunctorum commemorationem in die dominico fieri, huic dispositioni se conformant qui breviario Romano utuntur, et consequenter die dominico privatim et publicè recitant officium defunctorum. Ast difficultas est circa missam, an privatim sit legenda de die, an pro defunctis? Rubricæ Romanæ de hoc omninò silent, et non mirum cùm talis consuetudo sit contra earum dispositionem: tamen donec res definiatur, cùm rubricæ Leodienses præscribant in die dominico missas privatas celebrari de re-

(1) In officio defunctorum in vespèris et laudibus dicendi semper sunt psalmi appositivi *De profundis* et *Lauda, anima mea, Dominum*, et post vespèras et laudes omittantur iidem psalmi tantùm in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti. S. R. C. 23 Jun. 1756.

(2) Privata officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione absolvi licitè potest post vespertinas Horas festi omnium Sanctorum: in choro autem juxta rubricas adimplenda est manè die 2 Nov. nisi ut populi commodiùs et frequentiùs illis interesse possint contraria jam faceret consuetudo. S. R. C. 4. Sept. 1745. Hoc decreto reformantur alia contraria.

requiem (1), ad majorem uniformitatem idem practicandum videtur ab iis qui ritum Romanum sequuntur.

Interim tollendi sunt varii abusus qui in hac commemoratione pro defunctis irrepserunt. Et imprimis praxis est omninò intolerabilis pulsandi campanas tono lugubri, statim ut auditur duodecima in festo omnium Sanctorum; hoc enim perturbat solemnitatem diei, quæ tunc necdum aliquid habet commune cum defunctis: ad summum ergò pulsari possunt infra officium pro ipsis defunctis.

Deindè hâc die exponi non debet SS. Sacramentum, in supposito autem quòd justa de causa exponatur, uti in ecclesiis ubi habentur preces 40 horarum, expositio fiat in altari albis ornamentis vestito, et præter missam votivam à superioribus præscriptam, non alia in eo altari est celebranda. Sed quales missæ dicentur in aliis altaribus, an de die? an de *requiem*? Hoc dubium formatur ob decretum S. R. C. in quo prohibetur celebrare missas de *requiem* in ecclesia, ubi habetur expositio ob publicam causam: ast hæc prohibitio comprehendere non videtur diem commemorationis omnium defunctorum, in quo ex rubricarum dispositione omnes missæ privatæ celebrari debent de *requiem*; proindèque missæ sunt celebrandæ in paramentis nigris, ut in die dictæ commemorationis (2).

(1) Rubricæ gener. eccles. Leod. lib. 2. n. 422. idemque patet ex instruct. Clem. XI et XII circa preces 40 horarum.

* (2) Idem respondit S. R. C. 16 Sept. 1801. ad dubium Præsidis Ecclesiæ S. Ignatii Romæ scilicet: 1.º in casu licere recitare officium defunctorum, et celebrare missam solemnem, et etiam

Hâc die etiam illicitum est dare communionem cum vestibus nigris (1), necnon cum iisdem benedictionem.

Præterea non licet facere octavam pro mortuis, nisi super hoc adsit indultum apostolicum (2).

Tandem dum hâc die cantantur exequiæ pro defuncto, missa est assumenda ut in die obitus (3), et in absoluteione post missam, non est dicenda tota conclusio orationum (4).

Auctor hujus commemorationis agnoscitur S. Odilo abbas Cluniacensis, qui illam instituit pro suis privata auctoritate anno 998. *Quem ritum, inquit martyrologium Rom., postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit.* Sicut autem Ecclesia celebrans sub una solemnitate merita omnium SS., nihilominus in cursu anni celebrat memoriam nonnullorum Sanctorum in particulari; ita non obstante dictâ generali commemoratione omnium defunctorum, consecrat certos dies in commemorationem defunctorum in par-

missas privatas itidem defunctorum. 2.^o Paramenta adhiberi posse coloris violacei, vel nigri arbitrio superioris localis. 3.^o Excipiendum esse Altare, in quo habetur SS. Sacramentum.

(1) S. R. C. 2 Sept. 1741.

(2) Nemini licet facere octavas pro defunctis sine speciali indulto Sedis Apostolicæ... S. R. C. 30 Aug. 1667. *Cavaliere* scribens in hoc decretum benè observat eo tantum prohiberi octavas, quarum ratione omitteretur in cathedralibus aut collegiatis, etc. officium diei currentis ad cantandum officium defunctorum, vel quarum ratione singulis diebus etiam in duplicibus cantaretur missa de *requiem*: non verò illas, quæ sine præjudicio officii currentis, et rubricarum celebrantur.

(3) S. R. C. 14 Aprilis 1646.

(4) S. R. C. 5. Julii 1698.

ticulari; et imprimis in die alicujus obitûs, preces et sacrificium solemne facit, ut quantociûs è purgatorio transeat in cœlestem patriam; deindè idem renovat in die tertio in memoriam resurrectionis Christi, quæ accidit tertia die à morte ipsius; die septimo in memoriam quietis Domini post opus sex dierum in creatione mundi, et trigesimo ob exemplum filiorum Israël, qui triginta diebus luxerunt super morte *Moysis* et *Aaron*.

A quo autem desumendus sit dies tertius et alii? quidam dicunt à die obitûs, alii à die sepulturæ, sed cùm hoc desuper sileat rubrica, unicuique liberum sit sequi praxim loci ubi moratur. Tandem Ecclesia observat diem anniversarium ab obitu et quidem per plures annos, imò in perpetuum, si exstet fundatio illius perpetua; idque ob incertitudinem temporis, quo anima detinetur in purgatorio. Nec inutile evadit tale anniversarium perpetuum; licèt enim anima pro qua est fundatum, jam in cœlum transierit, prodest in] posterum parentibus fundatoris, aut aliis defunctis.

Spiritus Ecclesiæ sub hac commemoratione est succurrere Ecclesiæ patienti in purgatorio; adeoque sacerdos et populus in hac die votis communibus et speciali devotione, ut menti Ecclesiæ respondeant, debent Deo supplicare pro justorum in illo lacu profundo detentorum liberatione: hoc opus charitatis à nobis requirunt fortè patres nostri, matres, fratres, sorores, consanguinei, benefactores, et amici; voxque illorum sensibilis nobis redditur in officio divino his verbis: *Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Quis potest hanc

vocem audire, et non commoveri piâ commiseratione? Porrò media, quibus illi in Domino mortui juvari possunt, sequentia assignari solent: preces ferventes pro eorum salute; quædam eleemosynæ cum jejunio; oblatio sacrificii, et exacta confessio cum devota communione. Ad hæc opera pietatis debent pastores pro viribus hortari animas sibi creditas, et occasione hujus diei ipsis inculcare obligationem et utilitatem devotionis erga mortuos, seu satis non esse semel in anno pro iis orare, sed præterea lege charitatis teneri interdum religionis obsequia ipsis præstare.

XVI. Festa duplicia et semiduplicia, quorum officium impeditur in mense Decembri, non sunt transferenda ad annum sequentem seu civilem; qui incipit primâ Januarii, sed die quo incidunt, celebranda sunt per modum simplicis, id est, cum eorum commemoratione in primis vesperis, laudibus et missa, ac nona lectione, quæ formari debet ex omnibus lectionibus secundi nocturni, quæ sunt propriæ: dicta autem commemoratio fieri debet per modum semiduplicis, hoc est præcisè, quòd sit præponenda commemorationi feriæ, vigiliæ et simplicis, si fortè occurrant (1).

XVII. Officia votiva SS. Sacramenti, et conceptionis B. M. V. quæ semel in hebdomada recitantur, locum non habent in adventu, quadragesima, vigiliis, feriis IV temporum, nec diebus in quibus per anticipationem fit de ali-

(1) Ita iis ferè verbis S. R. C. 26 Nov. 1755. Hoc decreto reformatur aliud præcedens, quo festa impedita in mense Decembri transferri debebant ad annum sequentem.

qua dominicâ. Item nec quando occurrit in feriam V, vel sabbatum officium novem lectionum, licet translatum: ita verba indulti. Quando autem occurrit dictis diebus officium ad libitum, omisso officio hebdomadali, de eo fieri potest officium, prout constat è numero sequente.

Hic observandum in officio votivo conceptionis B. M. V. per annum dicendam esse antiphonam *post partum*, etc., non autem illam quæ habetur in officio festivo ejusdem conceptionis, scilicet *Angelus Domini nuntiavit Mariæ*, etc. Ita S. R. C. 23 Junii 1736: *in officio votivo immaculatæ conceptionis, in antiphona quæ dicit: post partum Virgo inviolata permansisti, dici non potest immaculata*. Supponit S. R. C. in hoc decreto recitari debere in officio votivo conceptionis B. M. V. pro antiphona tertia tertii nocturni, *post partum*, non verò *Angelus Domini*, prout habetur in officio festivo dictæ conceptionis, et per illius octavam: undè emendanda sunt quædam breviaria, in quibus præscribitur in dicto officio votivo, uti in festivo, antiphona *Angelus Domini*.

XVIII. Officia ad libitum occurrentia in dominicis diebus infra octavam, in natalitiis seu festis Sanctorum, ac diebus quibus per anticipationem fieri debet officium dominicæ, non possunt transferri, sed omitti debent. Dum autem occurrunt cum festo translato, vel hebdomadali, liberum est facere officium ad libitum, ulterius transponendo officium translatum, et omittendo hebdomadale (1).

(1) Ita expressis verbis S. R. C. 24 Januarii 1682, et 4 Aprilis 1705. Privilegium tamen his decretis contrarium obtinuerunt respectu S. Canuti Benedictini et Augustiniani apud *Merati* tom. 2. §. 3. cap. 10.

XIX. Festa simplicia perpetuò impedita, v. g. quotannis occurrentia cum festo primæ classis, non sunt transferenda ad alium diem, sed negligenda (1). Idem dic, si per accidens occurrat cum officio excludente officium simplicis, illo anno omitti debet.

ARTICULUS XXI.

De festo tituli seu patroni.

CONSUECUDINE universali et lege sancitum est, ut quævis ecclesia erigatur in honorem alicujus mysterii, vel Sancti cujus virtutes incolæ imitentur, cujusque protectione continuò lætentur; et ut major erga titulum seu patronum veneratio fidelibus imprimatur, efficaciusque protectionis beneficium ab iis obtineatur, Ecclesia statuit, ut festum patroni servetur in populo, ac sub ritu primæ classis cum octava celebretur. Cùm autem clerici teneantur octavas sui patroni, sicut et anniversarii dedicationis ecclesiæ cui inserviunt, per se ordinare, eis præsentamus regulas, quibus id debite exequi valeant. Porrò ut præsens materia difficultatibus plurimis subjecta majori cum ordine et claritate expendatur, hunc articulum dividemus in plures paragraphos. Undè

(1) Ad dubium auctoris calendarii pro usu PP. S. *Francisci* respondit Congregatio his verbis: S. C. re mature discussâ ad relationem eminentissimi et reverendissimi D. Cardinalis *Tamburini* ponentis, rescribendum censuit; si festum simplex perpetuò impediatur ob occurrentiam duplicis primæ classis, non esse ad aliam diem transferendum juxta rubricas. S. R. C. 18 Jun. 1750.

§. I.

De differentia inter titulum et patronum.

I. PATRONI nomen sibi tantum vindicat Sanctus, vel Sancta, aut Angelus; dum verò ecclesia dicata est Trinitati, Salvatori, cruci aut alteri sacro mysterio, Trinitas vel Salvator, etc., potest habere tantum rationem tituli, quia Personis divinis non congruit qualitas patroni, qui dicit inferiorem superiori supplicantem. B. V. M. quamvis propriè patrona alicujus ecclesiæ esse possit, tamen quando ecclesia dicatur ejus Assumptioni, Conceptioni, Purificationi, Annuntiationi, etc., Assumptio, seu Conceptio, etc. habet rationem tituli, non patroni. Imò, Sanctus dicitur titulus, si sit patronus ecclesiæ tantum, et non loci.

II. Alia differentia desumitur ex eo, quòd patronus loci per se importet festum in populo, non autem sic titulus ecclesiæ; hic enim solum infert obligationem festi in populo, quando est titulus regni, provinciæ seu patriæ, civitatis, oppidi, vel pagi seu parochiæ ruralis. Hinc in civitatibus et oppidis, in quibus habetur patronus communis civitatum et oppidorum, parochiæ degentes in illis habent solum patronum titularem ecclesiæ: adeòque cui festum non debetur in populo; et ita Leodii, ubi *S. Hubertus* est patronus totius civitatis, parochiæ intrà urbem habent titulum ecclesiæ absque feriatiōe. Pariter capellæ sitæ intrà limites alicujus parochiæ ruralis non habent patronum, nisi titularem absque festo in populo.

III. Hæc insuper poni potest differentia, nempe quòd patronus regulariter loco non det nomen suum : undè diœcesis nomen non sortitur à suo patrono, pariter nec civitas, nec pagus. Titulus verò passim nomen tribuit parochiæ seu capellæ; sic Leodii quælibet parochia nomen accipit à suo titulo : sic etiam capellæ rurales non infrequenter à titulo denominantur. Quòd si nonnullæ aliud nomen habeant, indè est quòd locus, in quo sitæ sunt, præviè ad erectionem capellarum, aliud nomen jam haberent quod radicatâ consuetudine retentum est.

§. II.

Quomodò, et à quibus festum patroni seu tituli celebrari debeat.

I. FESTUM patroni seu tituli principalis loci observari debet à populo ei subjecto quoad obligationem audiendi missam, et abstinendi ab operibus servilibus (1). Quoad officium, si sermo sit de patrono principali regni, provinciæ, patriæ, civitatis, aut oppidi, sub ritu duplicis primæ classis cum octava à clericis sæcularibus loci respectivè incolis recitari debet. Si verò sit sermo de patrono seu titulo parochiæ seu capellæ publicæ, licèt tantùm benedictæ et non consecratæ,

(1) Festum principalis patroni in quocumque regno seu provincia, et alterius pariter principalioris patroni in quacumque civitate, aut oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit, est præceptivum cum obligatione audiendi Sacrum et vacandi ab operibus servilibus S. R. C. 15 Sept. 1642.

sub eodem ritu celebrari debet ab omnibus clericis ecclesiæ adscriptis (1).

II. Ad octavam patroni pariter et dedicationis alicujus ecclesiæ tenentur qui in illa possident beneficium, utpotè ratione beneficii ibi specialiter adscripti. Dico *patroni ecclesiæ*, non verò Sancti (quod benè notandum est) altaris: ubi habetur titulus beneficii, de hoc enim potest tantùm beneficiatus facere officium, quando locum habet in breviario, servando omninò ritum, sub quo ibidem describitur. Quòd si de eo nihil in calendario, prætermissò illius officio, poterit, modò non currat festum duplex, aut aliud officium excludens missas votivas, celebrare missam illius more quasi festivo, id est, cum *Gloria in excelsis*, sed sine *Credo*; ponetque in illa tres orationes.

Si tamen in illo altari, cui annexum est beneficium, adesset insignis reliquia illius Sancti (2), ac de ea authenticè constaret, sicut et de illius canonizatione, posset officium illius recitare sub ritu duplicis minoris, et in missa dicere *Credo* (3).

III. Regulares tenentur celebrare sub ritu primæ classis, sed sine octava, festum patroni

(1) De patrono seu titulari ecclesiæ debet fieri officium sub ritu duplici primæ classis cum octava à clero eidem adscripto, etiamsi ecclesia non fuerit consecrata, sed tantùm benedicta. S. R. C. 21 Junii 1710.

(2) Insignes reliquiæ sunt caput, brachium, crus aut illa pars corporis, in qua passus est martyr, modò sit integra, et non parva, et legitimè ab ordinariis approbata. S. R. C. 8 April. 1682.

(3) Duplex officium est recitandum de Sancto cujus habetur insignis reliquia, ubi asservatur... et sit ex Sanctis approbata, et positis in Martyrologio Romano. S. R. C. 3 Junii 1617.

principalis regni, provinciæ, patriæ, diœcesis, civitatis, aut oppidi ubi commorantur (1); patronorum verò minùs principalium officium recitare non tenentur, nisi simul occurrat in breviario Romano, vel in eorum calendario (2). Undè 1.º in omni casu de dictis patronis minùs principalibus officium laudabiliter recitare possunt, ut se aliis conforment. 2.º Illud recitare non tantùm possunt, sed tenentur, quando invenitur in eorum calendario, et insuper quando locum habet in breviario Romano; in hoc autem ultimo casu officium recitabunt de communi.

Utrùm autem identidem teneantur recitare officium patroni parochiæ, quam inhabitant? Imprimis certum est non posse, dum festum patroni non colitur in populo, prout declaratum fuit à S. R. C. ratiõne dubii à Capuccinis Leodiis moti super festo *S. Servatii* tituli parochiæ, intrâ quam commorantur (3). Tota igitur difficultas manet de patrono alicujus pagi, in quo sedet aliquis regularium conventus. Aliqui affirmant eos teneri ad officium patroni sub ritu primæ

(1) S. R. C. 20 Martii 1685.

(2) Debent religiosi... de aliis autem patronis minùs principalibus non tenentur, nisi sint descripti in calendario Romano, vel in dictionum religiosorum proprio.... S. R. C. 15 Junii 1682.

(3) Quamvis PP. Capuccini Conventus Leod. ex consuetudine plus quàm centum annorum soleant facere officium duplex majus de *S. Servatio*, Episc. 15 Maii, quia est patronus principalis parochiæ in qua morantur; et est festum devotionis in populo; nihilominus declaratum et decisum fuit non licere prædictis PP. Capuccinis continuare recitationem dicti officii, nec in alium diem transferre, quando ab alio majori festo contingit esse impeditum. S. R. C. 28 Aug. 1706.

classis sine octava; alii è contrà negant, et his videtur adhærendum, ob decretum infrà citandum sub numero (1).

IV. Pastor sub sua jurisdictione plures habens ecclesias, si in illis æqualiter resideat, utriusque octavas patroni et anniversarii dedicationis tenetur officio celebrare, prout declaravit S. R. C. (2). Exemplum hujus habemus in diocesi Leodiensi, et notanter in *Fexhe* et *Slins*, ubi sunt duæ ecclesiæ; in quibus pastor dominicis diebus tenetur alternatim officia celebrare; proindèque qui utriusque tam patroni, quàm dedicationis octavas facere debet. Si verò pastor resideat in ecclesia parochiali, licèt hæc sub se habeat plures ecclesias, v. g. capellas, per se tantùm potest octavas patroni ecclesiæ parochialis, et illius dedicationis celebrare.

Dixi *per se*, quia si pastor in capellis sibi subditis, die patroni vel dedicationis earum officiorum solemnia agere debeat, poterit officium patroni et dedicationis recitare sub ritu primæ classis, sed sine octava. Si verò officia non celebret in dictis locis: vel est aliquis sacerdos adscriptus dictis capellis, vel non: si primum,

(1) An sub nomine patroni loci, de quo juxta bullam *Greg. XIII.* regulares tenentur recitare officium sub ritu duplici primæ classis, veniat etiam patronus parochiæ, in qua commemorantur? S. R. C. respondit negativè 5 Julii 1698.

(2) Parochus duarum ecclesiarum unitarum debet de amborum patrono et titulari recitare officium juxta rubricas, maximè si ecclesiæ sint peræquè unitæ. S. R. C. 5 Julii 1698. In hoc decreto *juxta rubricas*, idem sonat, ac sub ritu primæ classis cum octava. Ita *Spiridion Talu* in hoc decretum. Si autem teneatur celebrare, ut suprà, officium patroni, identitate rationis ergo et dedicationis utriusque.

non potest officium patroni celebrare, nec sub ritu primæ classis, nec consequenter cum octava, sed tantum sub ritu, sub quo describitur in calendario; casu autem quo in calendario locum non habeat, de eo nihil legere debet. Idem die de anniversario dedicationis. Si secundum, tenetur pastor octavam patroni et dedicationis dictarum capellarum facere, quia rubricæ generales præcipiunt ut celebrentur octavæ patroni omnis ecclesiæ, sive consecratæ, sive benedictæ tantum, sicut et anniversarii dedicationis earum, si fuerint consecratæ: porro in præsentī casu hæc obligatio neminem afficere potest, nisi pastorem, proindèque, etc.

V. Beneficiatus qui plura possidet beneficia, si in diversis seu duabus ecclesiis æqualiter resideat, octavas patroni et dedicationis utriusque ecclesiæ celebrare tenetur; est enim hîc identitas casûs cum pastore æqualiter residente in duabus ecclesiis, de quo suprâ. At si in una tantum residentiam teneat, illius tantum festa patroni et dedicationis agere potest.

VI. Quoad sacerdotem deservientem capellæ rurali; vel residet constanter in districtu capellæ sibi subditæ, vel residet in districtu matricis ecclesiæ; sic ut indè tantum discedat dominicis et festivis diebus, ut ministerium præstet in capella sibi credita, quo præstito redit ad ecclesiam parochialem, cui famulatur assistendo divinis officiis, et opera sacri ministerii exercendo. In hoc secundo casu tenetur ad octavas patroni, tum matricis ecclesiæ, tum capellæ, pariter et ad octavas dedicationis utriusque ecclesiæ, si intraque sit consecrata; talis enim illis duabus

ecclesiis censetur adscriptus; adeoque duarum ecclesiarum dedicationes et patronos celebrare tenetur. Quoad capellanum, qui fixè residet in districtu suæ capellæ, magna lis est inter auctores utrùm ultra octavas dedicationis capellæ cui adscriptus est, et illius patroni teneatur easdem octavas ecclesiæ parochialis officio celebrare? Qui partem affirmativam tuentur, has rationes adducunt. 1.º Quia festa dedicationis et ecclesiæ parochialis patroni sunt vera festa loci, nimirùm totius: ergò de iis fieri debet in toto loco, et hoc maxime verum est de festo patroni, quod quoscumque obligat in parochia existentes quoad feriacionem, seu abstantiam ab operibus servilibus. 2.º Sicuti jure communi festa propria cathedralis ecclesiæ observantur per totam diocesim, ita festa ecclesiæ parochialis servari debent per totam parochiam. 3.º Cæremoniale monasticum (1) declarat: *De patrono ecclesiæ parochialis decet ut fiat officium duplex majus, præsertim si sit festum de præcepto, aut consuetudo.* Equidem regulam ibi tradit regularibus, sed à fortiori concludi potest sæculares teneri ad illa officia, cùm longè magis hi pertineant ad ecclesiam parochialem quàm illi. His rationibus plures alias adjungunt, quas præmitto brevitate causâ.

Auctores verò qui negativam tenent, rationes suprâ recensitas quantumvis validas elidunt auctoritate variorum decretorum. S. R. C. 4.º sic declaravit 18 Dec. 1629. *Festum dedicationis aliarum ecclesiarum à cathedrali, celebrandum est tantùm in ecclesia ubi consecrationis dies peragitur.*

(1) Lib. 4. cap. 16.

2.^o Eadem Congregatio sub data 17 Aug. 1709 decrevit : *In die consecrationis, vel tituli ecclesiæ parochialis, non cathedralis, et per octavas non potest celebrari missa dedicationis, seu titularis sub eodem ritu duplici, ac in parochiali, etiam in oratoriis eidem ecclesiæ parochiali subjectis, in quibus multi sacerdotes celebrant, additque sub eadem data : De titulo et consecratione parochialis ecclesiæ, quæ non est cathedralis, non debet fieri officium ea die neque per octavam à sacerdotibus qui non sunt de clero parochiali, licet sub eadem parochia degant.*

Prima ex his sententiis conformior videtur principiis generalibus sacrorum rituum; secunda verò regulis particularibus : sed cùm regulæ particulares quæ emanant à tribunali Congregationis rituum, cui competit irrefragabili iudicio quæstiones liturgicas dirimere, super omni auctoritate et ratione valeant, sequitur practicè esse adhærendum secundæ sententiæ.

§. III.

De tempore quo octavæ prohibentur.

I. A 17 Decembris usque ad diem Epiphaniæ inclusivè prohibentur octavæ, præter eas quæ cum solemnitate Nativitatis Domini celebrantur, scilicet *SS. Stephani, Joannis et Innocentium* : undè si infra illud tempus incidat festum patroni vel dedicationis, celebratur sub ritu primæ classis absque octava. Quòd si octava sit inchoata ante 17, terminatur die 16 post completorium. Quòd si 17 sit dies octava, certum est apud omnes omninò esse negligendum officium diei octavæ,

à primis vesperis inclusivè, quia inchoari nequit officium, quod terminari non poterit. Ast ubi diei infra octavam officium sit [abrumpendum, disputatur. Aliqui in supposito quòd 16 fiat de die infra octavam, tenent id fieri debere post completorium, eò quòd tunc nihil impediatur secundas vespèras diei infra oct.: huic sententiæ valdè plausibili subscriberem, ni obstaret decretum S. C., quo præscribi videntur in hoc casu vespèræ de feria, sic ut octava terminari debeat post Nonam (1).

II Octavæ prohibentur à feria IV cinerum inclusivè, usque ad dominicam in albis pariter inclusivè, et jam inceptæ, ut suprâ, terminantur feriâ tertiâ ante cineres.

III. Prohibentur à vigilia Pentecostes inclusivè usque ad dominicam Trinitatis similiter inclusivè, ac pridie dictæ vigiliæ cessant, ut n. I inchoatæ.

IV. Officium patroni vel dedicationis locum non habet dominicâ primâ adventûs, vigiliâ et die Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, Epiphaniæ, ac die illius octavâ, feriâ IV cinerum, dominicâ passionis, totâ quindenâ Paschatis, à vigilia Pentecostes usque ad festum Trinitatis inclusivè, die ascensionis Domini, corporis Christi, assumptionis B. M. V. ac Sanctorum omnium: undè dum festum patroni vel dedicatio-

(1) Octava S. Scholasticæ, quando de illa fit officium apud Benedictinos, impedit preces, etc., quòd si occurrat in feria IV cinerum, dicuntur preces, sed nihil fit de octava, quæ terminatur ad primas vespèras feriæ IV cinerum exclusivè. S. R. C. 23 Junii 1736. Idem clariùs confirmatur alio decreto sub eadem data.

nis occurrat in uno è suprâ relatis diebus aut temporibus, transferri debet ad primum non impeditum festo duplici vel semiduplici. Festum tamen patroni in populo manet die quo incidit; adeòque non transfertur cum officio, ut jam pluries diximus.

V. Dum festum patroni incidit in 26 Decembris seu diem *S. Stephani*, fit officium patroni, et transfertur officium *S. Stephani* ad diem illius octavam, in qua recitatur ut in die festi. Interim infra octavam Nativitatis Domini nihil fit de sancto *Stephano*. Idem omninò dicendum est, si festum patroni vel dedicationis incidat in diem sancti *Joannis Evangelistæ* vel sanctorum *Innocentium*.

Nec obest decretum, juxta quod festa non debent transferri ad annum sequentem: hic enim non est translatio ad annum sequentem, cum festa prædicta sedem habeant in anno sequenti ratione octavæ.

VI. Dum hæc scribebam, mihi propositum est sequens dubium, an in loco, ubi *S. Silvester* est patronus, alterâ Epiphaniæ fieri debeat officium de die octava *S. Silvestri*? Hæc super re in vanum volvi decreta S. R. C., nihil in illis reperi; interim re diligenter discussâ, respondi negativè, hæc motus ratione, quòd rubricæ denegent octavas festis incidentibus inter 17 Decembris et diem Epiphaniæ utrimque inclusivè; adeòque celebrato festo ante Epiphaniam sine jure ad octavam, transacto die Epiphaniæ, non ampliùs ei competere potest octavæ residuum. Aliud est de festis patroni et dedicationis occurrentibus infra octavam Paschæ et Pentecostes,

cum officium transferatur post octavam, juxta rubricas de translatione festorum, celebrato festo sub ritu primæ classis, si qui sint dies residui octavæ, illis diebus faciendum est officium patroni, vel dedicationis, aut alterius Sancti privilegio octavæ gaudentis.

Quæres 1.º quomodo ordinandum sit officium sancti *Silvestri*, ubi est patronus? Primæ illius vespere erunt de Nativitate Domini usque ad capitulum, à quo de Communi confessoris Pontificis cum commemoratione Nativitatis tantum, nisi fortè festum *S. Silvestri* occurrat in dominica: tunc enim memoriæ Nativitatis præponitur commemoratio dominicæ. Eædem commemorationes fiunt in laudibus et missa. Secundæ vespere dicuntur de Communi confessoris Pontificis cum sola commemoratione Circumcisionis: ratio hujus est quòd vespere de octava Nativitatis Domini tantum currant usque ad primas vespere Circumcisionis, quibus prævalent, et consequenter substituuntur vespere secundæ sancti *Silvestri* (1).

Quæres 2.º quid dicendum si festum, v. g. patroni, incidat in diem Epiphaniæ? Cum quotannis impediatur, primo (die non impedito assignanda est patrono dies fixa in perpetuum, ubi festum illius servabitur in populo, et officium recitabitur sub ritu primæ classis cum octava integra.

(1) Ita *Merati*, lib. 4. cap. 16.

§. IV.

De majori octavarum dignitate.

I. PRINCIPIMUM primum, illudque certissimum, quo statuitur major octavarum dignitas, est ritus superioritas: unde octava festi primæ classis dignior est octavâ secundæ classis; adeoque in occursu utriusque faciendum est officium octavæ primæ classis, cum commemoratione alterius.

II. Octavæ solemnitatum, scilicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ, ascensionis Domini, corporis Christi, assumptionis et omnium Sanctorum sunt digniores octavis patroni et anniversarii dedicationis ecclesiæ, quia non solum sunt universaliores cum feriacione in populo, sed maximo cum apparatu in tota Ecclesia celebrantur. Ita rubricæ et varia decreta S. R. C. Difficultas tamen moveri potest circa concurrentiam et concurrentiam dedicationis cum festo assumptionis et omnium Sanctorum, sed de hac n. IV. sequente.

III. Decreto S. R. C. (1): *In concurrentia festorum ejusdem ritus, et aliàs quomodocumque parium, primum locum habebit officium ecclesiæ particularis, secundum ordinis, seu religionis, tertium diœcesis, quartum nationis, quintum Ecclesiæ universalis.* Porrò ut festa omnimodò paria censeantur: 1.º opus est ut habeant eundem ritum, v. g. ut sint ambo ejusdem ritus seu primæ classis, vel secundæ, etc. 2.º Ut ambo feriacionem in populo ha-

(1) 25 Junii 1756.

beant, vel illâ careant. 3.º Ut sint ambo ejusdem dignitatis. Dignitas autem festorum stat in ordine sequenti: 1.º Digniora sunt festa Domini. 2.º Beatæ Mariæ genitricis Dei. 3.º Angelorum. 4.º SS. *Joannis Baptistæ et Joseph.* 5.º Apostolorum (1). Tandem ejusdem sunt dignitatis martyres, confessores, virgines et non virgines, seu omnes Sancti, qui in litanis omnium Sanctorum inscribuntur post classem apostolorum, vel qui non inscripti in illis pertinent ad classem dictorum martyrum, confessorum, etc. Hinc

1.º Si patronus regni, provinciæ, patriæ, vel diœcesis, in qua cum feriatiōe colitur, sit martyr vel confessor, aut Sancta, in occurſu hujus cum patrono ecclesiæ particularis, v. g. parochiæ, si hic ultimus habeat etiam feriatiōem in populo, ejus festum et octava habent præferentiã super octava patroni regni, etc. Undè in diœcesi Leodiensi, ubi *S. Lambertus* martyr est patronus cum festo in populo, in omnibus ecclesiis ruralibus, in quibus patronus particularis festivè colitur, hujus octava prævalet super octava *S. Lamberti*; adeòque in die festi, seu 17 Septembris transferendum est officium *S. Lamberti*, ut fiat de patrono ecclesiæ, et consequenter infra octavam ponendum est officium de patrono ecclesiæ cum commemoratione *S. Lamberti*.

2.º Si patronus regni, provinciæ, etc., habeat festum in populo, et non patronus ecclesiæ, v. g. parochialis, prævalet officium patroni regni, vel provinciæ, etc., quia tunc omnia non sunt paria prout requirit suprâ positum decretum,

(1) Rub. gen. brev. de concurrentia §. II. n. 2.

cùm festum unius, et non alterius, habeat in populo feriationem.

3.^o Si patronus, v. g. diœcesis esset Angelus vel apostolus, sed sine feriatione, et patronus parochiæ martyr, sed cum feriatione; prævaleret octava patroni parochiæ, quia feriatio supplet defectum dignitatis.

4.^o Si patronus v. g. diœcesis colatur sine feriatione, pariter et patronus parochiæ, sintque ejusdem dignitatis, prævalet octava patroni parochiæ; si vero prior sit majoris dignitatis, v. g. apostolus, et alter minoris, v. g. martyr, octava apostoli prævalet.

IV. De festo anniversarii dedicationis ecclesiæ sequentibus verbis dixit S. R. C. *Cùm pluries exposita fuerint dubia sacre rituum Congregationi circa occurrentiam et concurrentiam officii dedicationis ecclesiæ cum officiis ordinum regularium, sanctorum apostolorum, S. Joannis Baptistæ, etc., tandem repositis tribus dubiis anno 1779 circa eandem occurrentiam et concurrentiam, ac typis impressis decretis ejusdem S. R. C., argumentis et rationibus utrique parti faventibus, eadem S. R. C. omnibus maturè perpensis, censuit et declaravit sub die 27 Martii ejusdem anni 1779, officium dedicationis in paritate ritus, tam in occurrentia, quàm in concurrentia, præferendum esse officiis particularibus regularium, SS. apostolorum, etc., quia est festum Domini; proindèque, cùm juxta rubricas generales breviarii Romani de concurr. officii tit. XI. n. 2. festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque vespervas integras, jure ac merito (hoc in directoriis suis respectivè locis) assignantur integræ vespervæ ejusdem ritus... quod pariter semper*

observandum est in occurrentia vel concurrentia officii ejusdem dedicationis æqualis ritus... cum quibuscumque officiis, licet apostolorum, Angelorum, S. Joannis Baptistæ ac beatæ quoque semper Virginis Mariæ jure novo. Hinc in occurrentia octavæ anniversarii dedicationis ecclesiæ cum octava cujusvis Sancti etiam patroni, imò B. M. V., licet ecclesiæ patronæ titularis, officium per octavam fieri debet de dedicatione cum commemoratione alterius octavæ occurrentis (1).

V. Dum quotannis occurrunt simul festum patroni diœcesis et ecclesiæ particularis, celebrandum videtur festum patroni diœcesis die quo incidit; idque ad majorem omnium membrorum conformitatem, et officium patroni particularis est reponendum primo die non impedito festo duplici, vel semiduplici, quo die celebrabitur sub ritu primæ classis cum octava integra, et festo in populo, si ei competat.

VI. Si verò similiter singulis annis occurrant festum patroni alicujus loci, et dedicationis, officium patroni agendum est in die proprio, et

* (1) Hoc et alia decreta, quæ dant prælationem festo dedicationis, eo innituntur principio quòd dedicatio templi sit festum Domini. Verumtamen animadvertens postea S. R. C. plurima ex hac sententia exoriri dubia; quum de hujus festi qualitate omninò sileant rubricæ; imò in tabella duplicium primæ classis collocent idem festum post illa B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac omnium Sanctorum, et solummodò præferant festis patroni, et tituli ecclesiæ; satius duxit se conformare ordini, et præfata rubricæ, cui adhærens in subsequentibus quæstionibus postea promotis, decrevit octavam Assumptionis præferendam esse octavæ dedicationis, et in concurrentia dedicationis cum festo æqualis ritus vespas esse dimidiandas. Ita respondit 13 Martii 1804, et 20. Septemb. 1806. Vide collect. Decret. n. 616.

supplicandum est superiori, ut extra octavam patroni dies figatur officio dedicationis ecclesiae; idque ut utrumque festum illud solemne integrum habeat suum officium. Imò ob eandem rationem monent auctores, quòd si quotannis occurrant festa patroni et dedicationis quoad aliquos tantum dies, v. g. ultimi dies octavae patroni cum primis octavae dedicationis, adsit sufficiens ratio supplicandi pro translatione officii dedicationis.

Hoc desuper liceat advertere, quòd optandum foret, ut in toto orbe die aliquo dominico simul ab omnibus encœnia celebrarentur; ex hac quippè praxi bona resultarent, ac multa et gravissima mala tollerentur, indè enim fieret ut pulchræ illius solemnitatis primus et ultimus dies à populo colerentur. Deindè voce consonâ et unanimi eadem laudes ubique Deo solverentur, et consequenter vitaretur discordia officii ratione dedicationis, modò hujus, modò alterius ecclesiae. Sed hæc levioris sunt considerationis, addemus igitur quòd plura et gravissima mala è populo eliminarentur: causâ enim encœniorum parantur convivia, saltant in choreis masculi cum juvenculis, ad hæc conflunt vicini et extranei; et hujus, qui sunt fructus? eheu! ebrietates, rixæ, mutilationes, homicidia, et luxuriæ multæ, ita ut festum illud sæpè vertatur in luctum. Quare in pluribus jam diocesisibus, provinciis, et regnis, ad extinguenda tantorum malorum principia, sapienter et salubriter constitutum est, ut aliquo die dominico ubique simul festum agatur dedicationis, sicque fideles liberi à concursu extraneorum, postquam devotè in Domo Dei pietatis suæ tributum solverunt, quietè in suis

respectivè familiis epulantur. Utinam ergo praxis adeò utilis Ecclesiæ et reipublicæ ubique vigere posset.

VII. In occurrentia duarum dedicationum, ponendum est officium dedicationis propriæ cum commemoratione alterius, ad quam assumetur oratio diei consecrationis, *Deus, qui invisibiliter*. Sed quid si tres aut quatuor dedicationes, prout evenire potest, occurrant? Res sic componi poterit. 1.º In officio dedicationis propriæ, v. g. in primis vesperis dicetur antiphona, versus et oratio (1), ut in breviario sub officio dedicationis. 2.º Ad primam commemorationem antiphona ad *Benedictus* versus *Domum tuam, Domine*, etc. oratio *Deus qui invisibiliter*. 3.º Ad secundam, antiphona è secundis vesperis *O quam*, versus *locus iste sanctus est, in quo orat sacerdos. R. Pro delictis et peccatis populi*, et oratio postcommunione missæ: *Deus, qui de vivis*. Ad tertiam, dici poterit antiphona è matutino *Templum Dei sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est. Y. Benè fundata est Domus Domini. R. Supra firmam petram* et oratio secreta missæ *Annue*. Eodem modo fiet in laudibus et secundis vesperis inducendo mutationem necessariam ad habendam sufficientem

(1) In pulchra et devota oratione anniversarii dedicationis ecclesiæ: *Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi*, dum dicitur extra ecclesiam, cujus consecrationis dies recollitur, desiderari posset quædam emendatio; nam pronomen *hujus* in illa designat locum præsentem; adeòque in illo supposito claudicat: undè conservari posset, uti est nunc concepta, dum in ecclesia ponitur, et extra illam dici deberet: *Deus, qui nobis per singulos annos sancti templi tui consecrationis reparas diem*, etc., hæc modicâ immutatione hæc oratio ubique verificaretur.

varietatem. Ast difficultas exurgit circa missam, in qua legi deberent duodecim orationes, cum sex tantum de dedicatione in missali reperiantur. In tali casu puto satis esse, si omnes commemorationes simul fiant per collectam *Deus, qui invisibiliter*: nam ad impossibile nemo tenetur, et aliundè istæ commemorationes habent idem objectum; adeoque recoli potest unicâ oratione in plurali formatâ.

§. V.

De ordinatione officii et octavæ patroni.

I. QUANDO eodem die fit officium de pluribus Sanctis per modum unius, ut sanctorum *Fabiani et Sebastiani*, si unus sit patronus, de eo solo fit officium sub ritu primæ classis cum octava; officium verò socii aut sociorum transfertur in primum diem, etiam infra octavam, non impeditum officio duplici vel semiduplici, tanquam in diem fixum. Porrò officium socii separati ritum habet semiduplicis, dum sub illo colitur cum sociis, ac etiam dum simul colitur sub ritu duplici; nisi, inquit rubrica, sint de maioribus festis, ut apostolorum *Philippi et Jacobi, Simonis et Judæ*; tunc enim officium à patrono separatim conservat ritum secundæ classis. Tandem dum plures Sancti simul uniti habent officium simplex, fit tantum de patrono, et nihil de alio vel aliis.

Hæc tamen separatio locum non habet in duobus casibus: 1.º dum unus est patronus principalis, et alter minùs principalis; in hoc casu fit

officium utriusque simul in die patroni principalis.
 2.^o Dum plures Sancti simul uniti sunt consanguinei, vel affines, ut *SS. Marcus et Marcellianus*; quamvis unus sit patronus et non alter, nihilominus de utroque simul fit officium.

II. In officio patrōni à sociis separati, retinentur in lectionibus secundi nocturni ea quæ sunt illi propria, ex iisque conficitur una vel altera lectio, et reliquum sumitur de Communi; si verò facta unius sint ita indivulsè connexa cum factis alterius, ut propria unius separari nequeant à propriis alterius, in officio patrōni ponuntur lectiones secundi nocturni ut sunt in breviario. In supposito autem quòd patrōnus sic separatus sit martyr, omnia sunt accipienda de Communi unius martyris tempore Paschali, vel extra illud, prout festum celebrari contigerit. Quantum ad lectiones tertii nocturni, si festo non assignentur propriæ, de eodem Communi sunt assumendæ.

III. Lectiones primi nocturni in festo patrōni ad majorem illius solemnitatem legendæ sunt de Communi; sed infra octavam de Scriptura occurrente; secundi verò sumuntur infra octavam de Communi primo loco, et deindè de eodem secundo loco; quando autem deficit Commune, sumi possunt ex octavario Romano (1). Quod si quis ad manum non habeat, exhausto Communi, resumendæ sunt propriæ, et deindè de eodem Communi. In tertio nocturno infra octavam, singulis diebus repetendæ sunt lectiones ut in die

(1) Octavarium Romanum est liber à sancta Sede approbatus, in quo continentur lectiones pro octavis Sanctorum, Sanctarum et aliorum festorum.

festi: quia evangelium missæ concordare debet cum evangelio tertii nocturni. Si tamen in dicto octavario Romano vel breviario essent assignatæ lectiones pro tertio nocturno sub eodem evangelio, hæ infra octavam assumi rectè possunt ad vitandam repetitionem.

IV. Dum concurrunt secundæ vesperæ dedicationis aut patroni cum primis vesperis ascensionis Domini, corporis Christi, fiunt vesperæ de sequenti cum commemoratione præcedentis. Imò dum concurrunt secundæ vesperæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ, ascensionis, corporis Christi cum primis vesperis dedicationis vel patroni seu tituli ecclesiæ, fiunt vesperæ integræ de præcedenti cum commemoratione sequentis, seu dedicationis vel patroni.

V. Dum concurrunt secundæ vesperæ dedicationis ecclesiæ cum primis assumptionis B. M. V. vel omnium Sanctorum, pariter et in concursu secundarum vesperarum assumptionis, vel omnium Sanctorum cum primis dedicationis, juxta decretum §. III. præc. n. V. citatum, vesperæ dedicationis habent in utroque casu præferentiam cum sola commemoratione assumptionis, vel omnium Sanctorum. Contrarium dic in concursu vesperarum patroni cum vesperis assumptæ Virginis et omnium Sanctorum.

VI. Dum concurrunt vesperæ dedicationis cum primis vesperis *S. Joannis Baptistæ*, vel *SS. Petri et Pauli*, pariter et horum cum vesperis dedicationis; in utroque casu ponuntur vesperæ integræ dedicationis cum sola commemoratione dictorum Sanctorum.

VII. Dominicâ infra octavam patroni, dedica-

tionis, aut alterius festi, adhibetur in altari promissa et officio color octavæ, excipe dominicas adventûs et quadragesimæ (1), in quibus color violaceus retinetur. In missa dominicæ infra octavam duæ tantùm dicuntur orationes, scilicet dominicæ et octavæ, nisi occurrat festum simplex, vel alia commemoratio facienda.

VIII. Dies octava ritum habet duplicis minoris, sed privilegiati, quatenûs nunquam transferatur; adeoque in occurso illius cum duplici etiam majore, fit officium diei octavæ, et duplex transfertur ad alium diem. Dum autem cum eo occurrit festum primæ vel secundæ classis, hujus fit officium cum commemoratione diei octavæ ubique.

IX. Dum dies octava incidit in dominicam privilegiatam, v. g. adventûs, si die sabbati fiat officium de die infra octavam, vespere dicuntur de sabbato, et à capitulo fit de dominica cum commemoratione diei octavæ, ut in primis vespers, et deindè in laudibus, missa, et secundis vespers: ratio, cur vespere in casu dicantur de sabbato, est quòd inchoari nequeat officium, quod compleri non poterit. Dixi *si fiat officium de die infra octavam*, quia si de duplici, vespere de eo erunt cum commemoratione dominicæ et octavæ; si verò de semiduplici, de hoc fiunt vespere, et à capitulo de dominica.

X. Quando festum habens octavam transferatur, tot dies ex illa demuntur, quot numerantur à die translationis ad diem repositionis: hinc si festum patroni vel dedicationis incidat in sabbatum in albis, vel in sabbatum ante festum

(1) In quadragesima fieri posset octava ex indulto.

Trinitatis, et reponatur feriâ secundâ subsequente, duo dies perduntur ex octava; adeoque festum patroni vel dedicationis tali anno sex tantum dies octavæ habebit. Quòd si festum cum octava transferatur ultra septem dies, celebrandum est sub ritu primæ classis sine octava.

XI. Dies octava habet tantum, ut diximus, ritum duplicis minoris: undè 1.º dum concurrat cum duplici minore, habet solum vespèras usque ad capitulum, à quo fit de sequenti. Pariter si duplex minus concurrat cum die octava fit tantum à capitulo de die octava. 2.º Dum dies octava concurrat cum duplici majori vel altioris ritus, totum fit de sequenti cum commemoratione præcedentis; excipe nisi sequens sit primæ classis, tunc enim nihil fit de præcedenti. Hæc sunt conformia rubricis de concurrentia; et tabellæ breviario præfixæ, sed patiuntur quasdam exceptiones breviter hîc ponendas.

1.º Dies octava festorum Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, etc., habet primas et secundas vespèras integras, contra festa duplicia etiam majora, non tamen altioris ritus; festa quippè primæ et secundæ classis habent utraque vespèras, dum concurrunt cum octava præatorum festorum: ita rubricæ breviarii.

2.º Dies octava festivitatum B. M. V. habet utrasque vespèras integras, contra festa duplicia minora (1), non tamen majora; de his enim

(1) Dies octavarum Assumptionis, Nativitatis, aliarumque festivitatum B. V. M. octavam habentium, concurrentes cum officio duplici minori, habere debent integras vespèras, ut videtur disponere rubrica ex ordine hujus S. C. ultimò posita in officio octavæ conceptionis, si occurrant cum *S. Lucia*.
S. R. C. 1 Martij 1681.

dicuntur vesperæ cum sola commemoratione octavæ.

Sub his exceptionibus dies octava cujusvis festi, etiam Angelorum et apostolorum, quorum dies festivi habent vespervas integras contra festa æqualis ritûs, dimidiat vespervas cum duplici minore concurrente.

XII. Infra octavam non privilegiatam, qualis est octava patroni vel dedicationis, dum fit officium primæ vel secundæ classis, in officio et missa non ponitur commemoratio diei infra octavam: excipi solùm debent vesperæ secundæ festi secundæ classis, in quibus fit commemoratio diei infra octavam, si tamen die sequente fiat de illo officium; aliàs nihil etiam de eo.

XIII. In officio diei infra octavam, et semiduplicis infra octavam occurrente, omittuntur preces ad primam et completorium, necnon in laudibus et vesperis, suffragia communia B. M. V. et Sanctorum.

§. VI.

De translatione festorum ratione octavæ.

I. INFRA octavas non fit officium semiduplicis præviè ad octavam translati; proindèque ultra octavam ulteriùs est transferendum. Sunt tamen varii casus, in quibus fit infra octavas de semiduplici translato; si enim semiduplex occurrat in die, v. g. patroni vel dedicationis, aut alterius festi habentis octavam non privilegiatam, vel in dominica infra octavam, et die immediatè se-

quenti fiat officium de die infra octavam, substituendum est officio diei infra octavam officium semiduplexis, etiam si esset officium solemne antè translatum (1). Idem quoque dicendum de semiduplexi infra aliquam octavam occurrente cum festo duplici, si dies immediatè sequens non sit impeditus, in eo reponendum est officium semiduplexis. Dum autem dies immediatè sequens diem festi, vel dominicæ, aut duplicis est impeditus festo duplici vel semiduplexi, tunc officium semiduplexis transfertur post octavam: datur tamen casus in quo sedem figit in die infra octavam, sed de eo dicemus n. II. hujus paragraphi.

Quidam extendunt hoc privilegium ad officium duplex quod infra octavam transfertur, sic ut reponi debeat in diem immediatè sequentem, modò non sit impedita. Verùm rubricæ tantùm loquuntur de officio semiduplexi, nobisque videtur earum verbis inhærendum, præsertim cùm non sit par utriusque ratio; quippè semiduplex translatum difficiliùs locum invenit quàm duplex, ideòque ne nimis à propria sede removeatur, dies sequens ei conceditur, infra octavas. Duplex ergò quod infra octavam transfertur, nullo gaudet privilegio contra alia duplicia translata; proindèque fieri debet in occurso de eo quod priùs fuit translatum, ut infra dicetur n. IV.

(1)... Excipitur semiduplex occurrens in festo habente octavam, vel in dominica infra octavam, vel in festo duplici infra octavam: quod semiduplex in præfatis tribus casibus transfertur in diem immediatè sequentem, in qua agendum esset de octava, protrahendo ad aliam non impeditam quodcumque duplex, etiam primæ classis priùs translatum. S. R. C. 2 Sept. 1741.

II. Hic diligenter est distinguendum inter translationem festi et mutationem diei illius; translatio quippè importat transitum officii à die sibi assignato in calendario, ad alium per modum peregrinationis, sic ut anno sequenti vel altero sedem sibi fixam recuperet. Mutatio verò diei importat transitum officii ad alium diem, in quo sedem fixam acquirit. Translatio locum habet, quando per accidens tantùm festum à suo die transportatur; mutatio autem, quando quotannis necessariò transportari debet ob occursum officii dignioris. Hinc 1.^o dum quotannis occurrit festum duplex vel semiduplex cum festo patroni vel dedicationis, mutanda est dies hujus duplicis vel semiduplicis, et assignanda est ei dies fixa primâ die, etiam infra octavam, non impeditâ officio duplici vel semiduplici. Hanc autem diem deinceps ita firmiter tenet, ut ab ea dimoveri non possit festo translato quantumvis solemni. Et si sit duplex de eo fit in dominica, quando simul occurrunt.

Pariter si festum aliquod quotannis occurrat in die octava patroni vel dedicationis, similiter mutanda est illius dies, et reponenda fixè in primo die non impedito festo dup. vel semid.

Quòd si fortè Pontifex instituat novum festum, et figat illius officium in die quo fixa est sedes talis Sancti, in hoc casu faciendum est officium novum cum aliis pro uniformitate, et ulterius quaerenda est prima dies non impedita ad locandum officium quotannis occurrens cum patrono vel dedicatione, aut eorum octavis.

III. Ubi anniversarium dedicationis quotannis

occurrit in dominica prima in Octobri, quâ die celebrandum est officium *SS. Rosarii*, mutanda est in perpetuum dies *SS. Rosarii*, sed putarem hanc diei mutationem ita cautè esse faciendam, ut non ampliùs sit periculum talis occurus; ad quod officium *SS. Rosarii* figendum est in perpetuum primo die non impedito post septimam Octobris.

IV. Superest ad terminandum hunc articulum dicere de ordine servando in celebratione officiorum translatorum. Et imprimis si officia translata sint diversi ritùs, priùs celebrandum est officium ritùs altioris, sive ante, sive post alia fuerit translatum: hinc officium primæ classis primum diem non impeditum occupat, et ulteriùs remouet officium secundæ classis. Idem dic de officio secundæ classis respectu duplicis majoris. Idem quoque de duplici majore respectu duplicis minoris. Idem tandem de duplici minore respectu semiduplicis.

Deindè quando simul occurrunt officia translata ejusdem omninò ritùs et dignitatis, seruatur ordo temporis, hoc est quòd priùs illud celebrari debeat, quod à majore tempore est translatum.

Dixi è rubrica breuiarii, undè suprâ dicta etiam desumpta sunt *et dignitatis*, quia dum duo sunt officia translata ejusdem ritùs, sed diversæ dignitatis; priùs faciendum est officium dignioris, quamvis à minore tempore translatum. Hinc cùm festa seu officia Domini digniora sint festis et officiis B. M. V. in concursu talium officiorum ejusdem ritùs, fieri primò debet officium Domini, translato ulteriùs officio de beata.

Idem de officio B. M. V. respectu officii cujuslibet Sancti. Idem de Angelis respectu patriarcharum et apostolorum. Idem de sanctis *Joseph* et *Joanne Baptista* respectu apostolorum. Idem de apostolis et evangelistis respectu martyrum. Quoad martyres, confessores, virgines et alios, censentur ejusdem dignitatis.

ARTICULUS XXII.

De festo anniversarii dedicationis ecclesiæ.

I. PRÆTER ea quæ de hoc festo et octava illius diximus in articulo præcedenti, quædam insuper veniunt de iis hic breviter discutienda; et imprimis circa hujus festi originem, dicendum ecclesiæ consecrationem venire ex veteri Testamento; in libro enim *Paralipomenon* legimus quàm magnâ solemnitate, et victimarum profusione sanctificatum fuerit templum *Salomonis*: quippè cæremonia hujus consecrationis duravit septem et septem diebus; ad eam convenit multitudo magna populi ab introitu *Emath* usque ad torrentem *Egypti*; hic stabant sacerdotes in hymnis et canticis laudantes Deum *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*; illic occupabantur in immolandis victimis, quarum sanguine nimio respersum fuit templum Domini, si quidem sub gladio sacerdotum ceciderent viginti millia boum et centum viginti millia arietum. Hinc Ecclesia intelligens quòd longè magis in nova lege Domum Dei deceat sanctitudo, prohibet ne in alio loco quàm in præviè sanctificato missæ sacrificium offeratur, ad illiusque sanctificationem instituit sole-

mnissimam cæremoniam (1). Ad mentem igitur Ecclesiæ templa in honorem Altissimi erecta quantociùs ministerio episcopali sunt sacrandæ. Id enim exigit honor sacrificii quod in illis agitur, simul et utilitas fidelium, cum ipsorum vota specialem in loco consecrato efficaciam acquirant; tum ratione precum quas fundit ad Deum episcopus ecclesiam consecrans; tum ratione earum quæ quotannis in recursu anniversarii dedicationis repetuntur.

II. Ecclesiæ tantùm benedictæ certum est non posse fieri officium dedicationis, utpotè afficiens solas ecclesias ab episcopo solemniter consecratas. Dum verò memoriâ, vel scripto, aut immemorabili consuetudine de illius consecratione constat, quotannis anniversario illius recurrente, officium dedicationis ei debetur.

III. Officium dedicationis ecclesiæ cathedralis sub ritu duplicis primæ classis cum octava celebrare tenentur omnes clerici sæculares in civitate degentes. Pariter sæculares, qui degunt extra civitatem ad idem officium, et sub eodem ritu primæ classis tenentur, sed absque octava (2). Regulares autem, sive religiosi, sive moniales in civitate degentes ad dictum officium sub ritu duplicis secundæ classis sine octava adstringuntur; qui verò extra civitatem habitant, illud ex devotione recitare possunt juxta solitum, vel sub duplici secundæ classis, vel duplici minoris,

(1) Ordo cæremoniarum consecrationis ecclesiæ, ac earundem rationes videri possunt in catechismo Montis-Pessulani.

(2) Dedicatio ecclesiæ cathedralis in civitate celebratur cum octava; in diœcesi verò sine octava. S. R. C. 2. Maii 1619.

sed ad illud minimè tenentur (1). Sed cur officium dedicationis celebratur tantùm à regularibus sub ritu duplicis secundæ classis, cùm teneantur recitare officium patroni diœcesis sub ritu duplicis primæ classis, et hic declaretur dignitate minor, quàm dedicatio ecclesiæ? Imprimis hæc sunt positiva; adeòque in illis non valet argumentum à pari: dici tamen potest id fieri, quia festum dedicationis festum est ecclesiæ, quod consequenter locum non ita afficit. E contrà festum patroni, festum est totius loci, imò in pluribus diœcesibus feriatiorem habet in populo; adeòque non mirum huic concedi ritum primæ classis, ut satisfiat pietati et devotioni sanctæ plebis erga suum patronum.

Quoad officium dedicationis ecclesiæ particularis, v. g. parochialis, omnes et soli adscripti illi ecclesiæ, vel in illa possidentes beneficium quantumvis tenue, illud recitare debent sub ritu duplicis primæ classis cum octava (2). Vide antè dicta art. præc. §. II. num. VI.

IV. In die ipso consecrationis officium de dedicatione recitatur sub ritu primæ classis cum octava. Quisquam autem dicant nonnulli, inchoandum est per primas vespervas; id enim innuunt rubricæ breviarii Romani, in quo assignatur ora-

(1) Festum principalis patroni alicujus diœceseos à regularibus est celebrandum sub ritu duplicis primæ classis, et dedicatio ecclesiæ cathedralis sub ritu duplici secundæ classis sine octava: et degentes extra civitatem non tenentur ad dedicationis officium. S. R. C. 16. Junii 1708.

(2) De titulo et consecratione parochialis ecclesiæ, quæ non est cathedralis, non debet fieri officium in die, neque per octavam à sacerdotibus qui non sunt de clero parochiali, licèt sub eadem parochia degant. S. R. C. 17. Aug. 1709.

tio die ipso consecrationis recitanda in primis vespers. Nec obest ecclesiam nondum esse consecratam. Nam saltem est inchoata consecratio per jejunium cui pridie vacant incolæ loci. Aliundè ad vesperam reliquæ Sanctorum exponuntur ad fores ecclesiæ, per quod incipit jam opus consecrationis: porrò hæc sufficiunt, ut officium pridie consecrationis recitari possit; omniaque verificantur in eo, illa referendo ad consecrationem mox consummandam: si enim in offertorio missæ panis dici queat hostia immaculata ob instantem illius consecrationem, quidni in simili casu ecclesia reputari posset consecrata (1).

V. Circa missam major movetur difficultas, nùm celebrari possit de dedicatione ante finem cæremoniæ? Idque ob hæc verba postcommunio-
nis *quem nomini tuo dedicavimus*, et quæ nullatenus verificari possunt. Imprimis observandum est permitti non posse, ut celebretur in ecclesia consecranda, nisi jam sit peracta consecrationis cæremonia; quod servando, evanescit tota difficultas. Si verò urgeat necessitas celebrandi summo mane, ut omnis populus in die festi possit audire

* (1) Hoc officium inchoandum est non à primis vespers, quæ pridie consecrationis ecclesiæ recitantur, sed à secundis vespers, quæ videlicet finitâ consecratione dicuntur. Vespere igitur, Matutinum, Laudes et Horæ consecrationem ecclesiæ præcedentes recitandæ sunt vel de Feria, vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Ordinario, sive Directorio. S. R. C. 29. Julii 1780. Quoad celebrationem et translationem festorum, quæ ipsâ die consecrationis ecclesiæ, aut infra ejusdem octavam occurrunt, vel concurrunt, servandæ sunt rubricæ Missalis ac Breviarii Romani, et attendenda Decreta S. R. C. 15 Martii 1804 et 20 Septembris 1806. Dies verò octava celebrabitur revolutâ Hebdomadâ eo die, quo dedicatio facta fuerit.

missam, dicatur missa diei currentis, vel si fiat de dedicatione, postcommunio sumatur de anniversario dedicationis: *Deus, qui de vivis*, etc. Quoad sacerdotes ecclesiæ adscriptos, et qui jam officium dedicationis legerunt, si ante finem consecrationis celebrent in alienis ecclesiis, missam legant conformem officio loci in quo celebrant (1).

VI. Episcopus in actuali consecratione, et non postea (2), potest anniversario dedicationis assignare alium diem ab eo in quo facta est ecclesiæ consecratio. Potest etiam ad majorem conformitatem recitare officium dedicationis eccle-

(1) Missa principalis dicitur prout in Missali, in ipsa die dedicationis ecclesiæ, ex præscripto Pontificalis Romani. Si autem consecratio fiat in diebus privilegiatis, v. g. Dominicâ I. Adventûs aut Quadragesimæ, etc. tunc Missa debet dici diei currentis, et à solo consecratore, vel ab alio sacerdote loco consecratoris celebrante; post orationem diei addi potest oratio de dedicatione sub una conclusione. Ita Merati. Quod spectat ad alias Missas celebrandas à clero ecclesiæ consecrandæ, certissimum omninò est, ait Merati, quòd in præfata ecclesia permitti nullo modo potest sacrificii celebratio, antequam compleatur consecratio ejusdem ecclesiæ. Itaque si sacerdotes eidem ecclesiæ addicti celebrent in aliena ecclesia illo die consecrationis, debent legere Missam *non de dedicatione ecclesiæ, sed de Feria vel de Sancto*, prout descriptum fuerit in *Calendario*. S. R. C. 29 Julii 1780. Idem quoque dicendum, si præfati sacerdotes celebrent in aliquo sacello ecclesiæ consecrandæ aliquo modo adnexo, et idoneo ad celebrandum, ab eadem tamen ecclesia separato. Quòd si nulla alia sit ecclesia vel capella, tunc juxta Decretum suprâ citatum prædicti sacerdotes eâ die se abstineant à missæ celebratione, aut celebrent post peractam consecrationem ecclesiæ, et in hoc casu Missam legant de ipsa dedicatione cum Collecta: *Deus, qui invisibiliter*; Secreta: *Deus qui sacrantium*, et Postcomm.: *Quæsumus omnipotens*, quæ sicut etiam Credo dicuntur per totam octavam. Consule Decreta sub NN. 559 et seq.; item 616.

(2) Extra actum verò consecrationis non potest ampliùs mu-

siaë quam actualiter consecrat (1), sed sine octava; festum autem eo die fortè occurrens, transferat ad primum diem non impeditum.

ARTICULUS XXIII.

Annotationes in præcipuas partes officii.

I. ORATIO dominica dicitur secretò ante omnes Horas, excepto completorio, in quo similiter dicitur, sed post versum *adjutorium nostrum*. Pariter secretò dicitur post quamlibet Horam: excipe 1.º Vesperas quibus jungitur completorium; tunc enim dicto *fidelium animæ*, subjungitur *jube Domne* vel *Domine*, prout in choro vel privatim legitur. 2.º Dum alicui Horæ jungitur officium B. M. V., oratio dominica recitatur tantum post officium de Beata. 3.º Dum plures Horæ successivè recitantur, sufficit inter utramque Horam ponere orationem dominicam. 4.º Tandem in matutinis tenebrarum et defunctorum ante lectiones tota dicitur secretò; in precibus verò laudum et vesperarum ab initio in finem clarâ voce dicitur; partim autem clarâ, partim voce secretâ in aliis precibus, et in nocturnis ante lectiones. Dum hæc oratio dominica recitatur infra officium, in fine illius non subjicitur *amen*, sed solùm quando dicitur ante et post Horas.

tari festum inconsultâ Sede apostolicâ, quæ 16 Oct. 1604 jussit fieri de dedicatione ecclesiæ in ipsamet die Nativ. B. M. V. in qua accidit consecratio. *Gavantus*, de Communi dedic. eccles. cap. 5.

(1) ... Dubium est utrùm episcopus consecrans, etiam non responsum fuit negativè quoad præceptum; poterit tamen, si velit, ex congruentia. S. R. C. 7 Maii 1746.

Dum laudes separantur à matutinis, an aliquid addi debeat hymno *Te Deum* et aliquid præmitti laudibus? Res est indeterminata; nam cum solâ consuetudine hæc separentur, rubricæ nihil desuper statuunt; proindèque res tota pendet ab usu, qui si esset uniformis, regulam certam daret, sed multùm variat, et indè dubium. Alii enim hymno *Te Deum* nihil omninò superaddunt: alii rectiùs rubricâ Nativitatis Domini addunt collectam diei: alii tandem laudabiliter collectæ adjungunt *Dominus vobiscum, benedicamus Domino, etc., fidelium animæ, etc.*, ac deindè orationem dominicam: quoad laudes, si *Joanni Baptistæ Halden* credatur, usus habet ut eis præmittantur *Pater et Ave*.

II. Salutatio angelica dicitur ante omnes Horas; excepto completorio, in cujus fine, et non in initio, recitatur. Hujus salutationis prima verba, scilicet *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, prolata sunt ab Archangelo *Gabriële*; hæc verò *benedictus fructus ventris ab Elisabeth, uxore Zachariæ* (1). Reliquum successivè ab Ecclesia fuit adjunctum.

Ad excitandos fideles ut singulis diebus Deo gratias agant ob mysterium incarnationis, utque invocent illam (2) quæ tantam partem in eo ha-

(1) *Lucæ* cap. 1.

(2) Clerici præsertim hic in terris circumdati infirmitatibus, periculis et tentationibus continuis ac gravati aliundè muniis sacris, iisque formidandis quærere debent manum auxiliatricem beatissimæ Virginis Mariæ, et si illam sibi fecerint advocatam, sub protectione illius non commovebuntur in medio tempestatum hujus sæculi, exultabuntque ut gigantes ad currendas vias sanctitatis et perfectionis: audiamus eam loquentem ad

buit, summi Pontifices largiti sunt indulgentias quotidie ter recitantibus salutationem angelicam cum versibus *Angelus Domini*, etc., *ecce ancilla, et Verbum caro factum est*, etc. Indulgentiæ Clem. X sic sonant in catechismo diœcesis Leodiensis. 1.º Dictam salutationem manè, meridie et vesperè recitantibus concessit indulgentiam decem annorum, idque toties quoties dictis temporibus recitantur. 2.º Indulgentiam plenariam aliquo die mensis lucrandam iis qui fideliter toto mense dictas salutationes recitaverunt. Item liberari animam à purgatorio juxta eorum intentionem. Tandem indulgentiam plenariam in articulo mortis, si toto vitæ cursu hanc devotionem exercuerint. Verùm extant duæ bullæ recentiores, de quibus authenticè constat, et juxta quas optanda foret dicti catechismi emendatio: prima est *Benedicti XIII* sub data 14 Sept. 1724, in qua præfatus Pontifex indulgentiam 100 dierum largitur iis qui manè, meridie et vesperè contriti recitaverint, ut suprâ salutationem angelicam; sic ut ter in die dictas salutationes faciens, 300 dies indulgentiæ obtineat. Item indulgentiam plenariam aliquo die cujuslibet mensis. Porrò ad effectum

nos; hæc enim verba in ore ejus ponit Ecclesia: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino*. Porrò invenitur certò sequentibus mediis. Si vestigia virtutum ejus premamus, maximè humilitatis et castitatis ejus: si festivitates illius speciali cum devotione celebremus: si cultum illius, quantum licet, promoveamus: si adscripti dicatæ nomini ejus alicui confraternitati, ut scapularis, vel rosarii, hujus insignia religiosè feramus, et munia fideliter repleamus: si tandem nullus dies effluat quin ei aliquid pietatis obsequium exhibeamus; profectò his exercitiis captabimus ejus benevolentiam nunc et in hora mortis nostræ.

consequendum hujus indulgentiæ, sequentia requiruntur : 1.º dictæ salutationes recitari debent flexis genibus ; sed hæc conditio modificata est à *Benedicto XIV* ; hic enim Pontifex 20 Aprilis 1742 confirmans indulgentiam præfatam *Bened. XIII* statuit, ut *Angelus* omnibus anni sabbatis ad vesperam et per totam dominicam stando recitaretur ; nec flectendum est sub versu *et Verbum caro factum est* ; nullibi enim præscribitur illa genuflexio. Præterea permisit, ut toto tempore Paschali loco *Angelus*, stando recitetur antiphona *Regina Cæli* cum versu et oratione ; qui verò hanc antiphonam nesciunt, recitare possunt *Angelus*, sed stando ; qui autem utrumque ignorant, satis est, si pariter stando toto tempore Paschali recitent unum *Pater* et *Ave*. 2.º Requiritur probabiliter pulsus campanæ (non spontaneus valdè horologii) ad hoc expressè datus ; idque ut à fidelibus preces simul fundantur ; adeòque recitari debent sub actuali pulsu campanæ. Ab hac lege excipiuntur regulares, qui impediuntur ob aliquod sui instituti exercitium ; ita ut genuflexi tunc orare non valeant ; ex indulto *Bened. XIII* ut cessavit impedimentum, possunt *Angelus* recitare, et indulgentiam consequi. 3.º Ad indulgentiam plenariam mensis, necesse est, ut quis singulis diebus mensis semel saltem dictas preces recitaverit, et aliquo die mensis ad ipsius nutum sacramentaliter confiteatur, Eucharistiam percipiat, eodem die recitet *Angelus* ad pulsum campanæ, ac oret pro causis ordinariis.

Ex his inferes, quòd in choro ad dictam indulgentiam non sufficiat dimidiatè cantare salutationes angelicas, sed integrè.

III. Symbolum apostolorum dicitur in initio ac in fine officii post salutationem angelicam, ac similiter ante Primam, necnon in precibus ad Primam et completorium, quando recitantur: apprimè autem fit professio fidei in principio et fine officii: quia per fidem Deo nascimur, et per eam in Domino morimur; repetitur deindè ad Primam: Jam lucis orto sidere: quia *justus ex fide vivit*.

IV. Hymnus vox græca est, idem latinè sonans, ac laus Dei cum cantico. Quælibet Hora officii Romani, si excipiantur officia ultimi tridui majoris hebdomadæ, octavæ Paschatis, et defunctorum cum matutino die Epiphaniæ, habet suum hymnum. Circa hanc officii partem venit observatio faciendâ in hymnum *iste confessor*; in die quippè obitûs Sancti dicendum est in prima stropha *beatas scandere sedes*; dum verò officium celebratur extra diem ipsius obitûs, dici debet *supremos laudis honores*; ita habet rubrica, et ratio illius est quòd prima verba tantùm verificentur in proprio die obitûs confessoris; hæc verò *meruit supremos laudis honores* omni die de eo verificari queant; undè in dubio circa diem obitûs Sancti, quod levâri non potest, satius est dicere *supremos laudis honores*. Sed quid si officium confessoris transferatur ad diem immediate sequentem obitûs? Respondit sacra R. C. quòd si à capitulo saltem fiat de illo confessore, dicendum sit *beata scandere sedes*; non tantùm in primis, sed et in matutino et secundis vespers: si verò in vespers præcedentis nihil de eo, vel tantùm commemoratio fiat, substituen-

dum sit in hymno *supremos laudis honores* (1). Item statuit quòd si officium confessoris habens octavam, à die illius obitùs transferatur, modò non ultra octo dies, dicendum sit in die festi et reliquis octavæ diebus *beatas scandere sedes*; idque hâc ratione, quòd tota octava reputetur quasi unus ejusdem festi dies. Aliud est, quando tale festum transfertur ultra octavam, tunc in hymno ponendum est *supremos laudis honores* (2). Potest accidere, ut festum habeat hymnum proprium in primis vesperis, quæ ob concursum alterius officii impediuntur, quo in casu quid agendum sit, definivit S. R. C. decreto sequenti: *Quando in primis vesperis S. Hermenegildi martyris hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in matutino, et hymnus matutini substituendus est in laudibus.*

V. Aliud deindè notari debet circa conclusionem hymnorum: quippè infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, B. M. V. etc., ac toto tempore Paschali hymni festorum in illa tempora incidentium, terminari debent conclusione dictarum octavarum, seu respectivè temporis Paschalis, dummodò tamen sint ejusdem metri: excipe nisi festa habeant conclusionem propriam, qualem etiam habet hymnus plurimorum martyrum *Christo profusum sanguinem*; quique consequenter omni tempore concludi debet *te nunc, Redemptor, quæsumus, ut martyrum consortio*, etc. Hæc autem conclusio propria reputatur; eò quòd si tolleretur, hy-

(1) S. R. C. 13 Jun. 1682.

(2) S. R. C. 13 Sept. 1741.

mnus careret omni petitione ; siquidem usque ad conclusionem laudes martyrum simpliciter contineat. Inter conclusiones quæ nunquam mutantur, etiam numerat *Gavantus* conclusionem hymni de cruce *Vexilla regis prodeunt* : et corporis Christi *Verbum supernum prodiens*.

Plures hymni cum obscura quædam et intellectu difficilia contineant, præsens materia quasdam in illa elucidationes exigeret, sed ne hic articulus nimium excrescat, convenientius illis hoc opus concludemus.

Quando concurrunt secundæ vespere alicujus officii, cum primis alterius habentis conclusionem propriam in hymnis, v. g. officii votivi SS. Sacramenti, vel conceptionis B. M. V. si fiat à capitulo de sequenti, vel hujus tantum commemoratio, hymnus completorii concludi debet : *Jesu tibi sit gloria*. Pariter dum concurrunt secundæ vespere præactorum officiorum, scilicet SS. Sacramenti, vel conceptionis B. M. cum primis alterius, modò in his retineant commemorationem, retinent et in completorio *Jesu tibi sit*, etc. Si autem in vesperis non habeant commemorationem, hymnus completorii terminatur conclusione communi (1).

VI. Antiphona idem latinè importat ac vox contrà sonans, olimque juxta *Thomasium* conformiter ad sensum hujus vocabuli ante psalmos semel ab uno choro cantabatur, et mox ab altero repetebatur, aut saltem pars antiphonæ can-

(1) Talis dispositio reperitur in libello officiorum PP. Carmelitarum Discalceatorum, approbato à S. R. C. et Romæ impresso 1629.

tabatur ab uno choro, et reliquum ab alio, sic ut juxta hunc usum vox unius chori sonaret contra vocem alterius. Verùm usus jam habet ut semel tantùm ante et semel post psalmum ponatur, sive ab eodem choro sive à diverso; sicque non ampliùs concordat cum sensu vocis antiphonæ.

In duplicibus ad matutinum, laudes et utrasque vespervas, antiphonæ duplicantur, seu integrè ante et post psalmos ponuntur; in semiduplicibus verò et in omnibus parvis Horis quocumque die, ponitur tantùm antiphonæ initium ante psalmos, et integrè post illos recitatur (1). Ut ritus præsentis ratio, quæ purè spiritualis est, capiatur, observandum cum auctoribus antiphonam esse symbolum charitatis; quo posito, × recitatur ante et post psalmos ad indicandum quòd bona opera, ut nobis prosint ad vitam æternam, in charitate inchoari et terminari debeant. In semiduplicibus dimidiatè ponuntur ante psalmos, quia charitas hujus vitæ est adhuc imperfecta; in fine verò psalmi integrè, ad significandum nos charitate perfectâ esse donandos post hanc vitam in futuro sæculo. In duplicibus integrè ante et post recitatur, quia in diebus solemnioribus majori cum charitate Deo famulari debemus.

Tempore Paschali antiphonæ non ita in officio multiplicantur, eò quòd Sacramentis Paschalibus charitas supponatur sufficienter accensa.

(1) Optandum foret, ut in breviariis mediante asterisco demonstraretur ubi in semiduplicibus frangenda sit antiphona hoc medio haberetur in lectione officii, et maximè in illius cantu uniformitas.

VII. Post psalmos in matutinis sequuntur versus, absolutio et benedictio. Versus sic denominatur, quia ad illum choristæ faciem vertunt ad altare, et mentem, si fortè fuerit distracta, ad Deum. Sequens oratio dicitur absolutio, quia per eam petimus absolvi à delictis seu mundari, ut dignè lectionibus vacare possimus. Benedictio est species missionis, de qua scriptum est ad Rom. 1. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur*; adeòque officians impertiens alicui benedictionem, ei facit licentiam proferendi sermonem per cantum seu recitationem lectionis. In officio privato, hæc facultas à Deo immediatè quaeritur: undè dici debet *jube Domine*, et non *domne benedicere*.

Difficultas est circa octavam benedictionem, in officio alicujus Archangeli; quandonam ponidebeat in singulari? quandonam in plurali *quorum festum colimus*? Sed hoc pendet ab oratione officii; si enim hæc sit in singulari, et benedictio in singulari formanda est; si verò fuerit in plurali, ut in dedicatione *S. Michaëlis*, dicendum est in plurali *quorum festum*, etc.

VIII. Lectiones primi nocturni passim sumuntur de Scriptura, quæ ita partita est in anni cursu, ut saltem ex ea legatur initium cujusvis libri; de libro autem *Paralipomenon* fit etiam quotannis in officio dedicationis. Dum impeditur initium alicujus libri ob occurrentiam festi habentis lectiones proprias vel de Communi, primo die infra hebdomadam, in quo assignantur lectiones de Scriptura currente, resumendum est initium libri cum duabus lectionibus ei adjacentibus, sed diebus sequentibus lectiones legun-

tur, non consequenter, sed prout respondent feriis in quibus legitur officium. Excipitur historia mortis *Machabæorum*, quæ propter nimiam animi fortitudinem, quæ in illis *Athletis*, et matre eorum emicavit, ponitur consequenter, etiam si lectiones fuerint interruptæ per aliquod officium majus.

In fine anni ecclesiastici, seu ante adventum, quando ob festa occurrentia initia prophetarum non possunt poni suis respectivè diebus, resumenda sunt die sequenti non impedito, ponendo initium duorum vel etiam trium prophetarum in uno nocturno. Imò quando prævidetur quòd præfatæ prophetarum lectiones locum non invenient, per anticipationem, ut suprà, sunt recitandæ, quòd si absolutè locus omnibus dari nequeat, eo anno quædam omitti possunt (1).

Lectiones secundi nocturni in festis Sanctorum dicuntur de vita eorum, ut ponantur sub oculis clericorum exempla pietatis et virtutis, quorum vestigia prementes ad eorum consortium ascendere satagent. In his historiis, quædam minùs accuratè judicio criticorum referuntur, quorum optanda sanè foret emendatio. Interim à multo tempore Ecclesia in his ita cautè ambulat, ut imposterùm omne erroris periculum removeatur.

(1) Non possunt poni plura tribus initiis prophetarum unicâ die. S. R. C. 15 Julii 1698. *Item*: quando in mense Novembri sunt eâdem die ponenda plura initia prophetarum, dicenda est tantùm unica lectio, scilicet de singulis, ad satisfaciendum præcepto. S. R. C. 5 Jul. 1698. *Rubricâ tamen breviarii possunt tres uniri per modum unius. Item*: ubi sunt plura officia habentia primas lectiones proprias, possunt omitti aliqua ex dictis initiis prophetarum, occurrente aliquâ legitimâ causâ. S. R. C. 5 Julii 1698.

In officio Sanctorum, quando desunt lectiones propriæ, desumi debent è Communi eorum. Dum autem fit officium plurium confessorum, omnia dicuntur de Communi unius, uti in breviario, sed in lectionibus secundi nocturni ponendus est numerus pluralis, dicendo *ad sanctorum ac beatissimorum patrum nostrorum N. N. quorum*, etc. In sermone tamen *S. Gregorii* retinetur in singulari *deridetur justi simplicibus*; quia non est ibi lectio propria, sed expositio libri *Job*. Pariter oratio formanda est in plurali. Reliquum retinetur in singulari, quamvis id non quadret cum officio ob nimiam mutationem, quæ veniret facienda.

In tertio nocturno ponitur evangelium, ejusque homilia, seu explicatio, divisa in tres lectiones. Quando in festo novem lectionum occurrit dominica, vigilia, feria major, aut simplex, omittitur nona lectio festi, et illius loco substituitur homilia dominicæ, vigiliæ, etc. aut lectio simplicis; quæ si sit gemina, recitatur per modum unius. Hæc regula quâdam indiget elucidatione, et 1.º in casu hujus occurrence semper liberum est jungere nonam lectionem festi, octavæ ejusdem per modum unius, et in certis casibus id omninò fieri debet; quando nempe nona lectio continet laudem propriam Sancti vel Sanctorum, de quibus fit officium, ut in officio *S. Joseph*, septem Fratrum, *SS. MM. Nerei, Achillei*, etc. et in similibus. 2.º Lectio de simplici non ponitur in officio novem lectionum, nisi sit propria (1): undè quando est communis, solùm re-

(1) Rub. brev. de transl. n. 9. ubi habetur: Si propriam de vita Sancti habuerit.

citatur, dum officium fit de simplici. 3.^o Lectio simplicis etiam omitti debet in officio feriæ, et dominicæ, in qua loco hymni *Te Deum* assignatur nonnum responsorium, quia hoc responsorium non benè congruit post lectionem de Sancto. 4.^o Dum cum duplici simul dominica, seu feria major, et simplex occurrunt, omissâ lectione simplicis, nona lectio recitatur de homilia dominicæ vel feriæ, utpotè digniores. 5.^o Infra octavam Paschæ et Pentecostes lectio simplicis est pariter negligenda; cum enim breve sit officium per istas octavas, non videtur minuendum officium adeò solemne per substitutionem lectionis alicujus Sancti (1).

IX. Post lectiones sequitur responsorium, quod est symbolum operis; lectionibus igitur instructi, per responsorium docemur legem esse operibus complendam, seu auditores legis non esse apud Deum justificados, sed illius factores.

In quibusdam responsoriis, ubi habetur secundus versus *Gloria Patri*, duo cernuntur asterisci: porrò secundo præcisè designatur pars responsorii recitanda post *Gloria Patri*; adeoque post primum versum resumendum est responsorium à primo asterisco, et pergendum ultrà secundum usque ad versum (2).

X. In vesperis et laudibus, dum officium est feriale, semiduplex, aut simplex, fiunt comme-

(1) *Gavantus* de commemor. cap. 11. n. 55.

(2) Ita inter alios *Gavantus* et *Pisart*, quos citat, et sequitur *Merati*, tom. 2. sect. 5. cap. 13. de responsoriis, n. 5. sicque dispositum est in breviario Romano, Parisiis impresso anno 1745, typis *Frederici Leonard*.

morationes, seu suffragia communia Sanctorum; exceptis tamen temporibus adventûs, octavarum, et à dominica passionis usque ad festum SS. Trinitatis, infra quæ prædicta suffragia omittuntur, etiam in semiduplicibus et officiis ritûs inferioris occurrentibus: porrò sequens ordo servandus est in his commemorationibus.

1.º In officio feriali tantùm, ponitur primo loco de *cruce*: si tamen occurrat festum simplex, hujus memoria antiphonæ de *cruce* est præponenda, quia pertinet ad officium.

2.º Ponitur suffragium B. M. V., et quando officium non est feriale, omissâ commemoratione *crucis*, hoc primum locum occupat. In duobus casibus suffragium de *beata* omittitur, scilicet dum in choro, non tamen privatim, post laudes aut vespas recitatur officium parvum B. M. V.: excipe, nisi B. V. sit titulus ecclesiæ; in hoc enim supposito, quamvis fiat officium parvum de *beata*, poni debet suffragium *Sancta Maria*, etc. (1). Deindè omittitur in officio de eadem B. V. quod fit sub ritu semiduplici vel simplici, ne bis in eodem officio fiat de eadem commemoratio.

3.º Fit de SS. apostolis *Petro et Paulo*.

4.º De patrono vel titulo ecclesiæ, cui aliquis est adscriptus. Hic in errorem manifestum incidit celebris *Gavantus*, volens vi rubricæ esse faciendam commemorationem patroni loci, et deinde

(1) In ecclesiis B. M. V. sub quocumque titulo dicatis in feriali officio debet fieri commemoratio de eadem sancta Maria, tanquam de titulari, etiamsi ejusdem officium parvum in choro fuerit recitatum. S. R. C. 15 Aprilis 1695.

dè titularis ecclesiæ; rubrica enim disjunctivè habet, *adjungitur commemoratio de patrono vel titulo ecclesiæ*; adeòque de uno tantùm, prout ei competit qualitas patroni vel tituli; idque confirmatum videtur decreto sac. Cong. (1). Hæc patroni commemoratio fit in laudibus per antiphonam et versum ad *Benedictus*, ac orationem festi, mutatis tamen in ea mutandis ad verborum verificationem, si hoc necesse sit: in vesperis verò per antiphonam et versum ad *Magnificat* è secundis vesperis, et eandem orationem.

Si titulus ecclesiæ sit persona divina, fit illius commemoratio post orationem de *cruce*, quando hæc dicitur, et ante suffragium de *beata*. Ubi Salvator est titulus, tenet *Gavantus* sufficere suffragium de *cruce* dum hoc ponitur, adeòque præter illud nihil esse addendum in tali loco, sed contrarium decrevit S. R. C., scilicet, in tali casu faciendam esse *crucis* commemorationem, si officium sit feriale, et post illam de titulo seu Salvatore (2).

Ubi beata Virgo est titulus sub quavis invocatione, Annuntiationis, Nativitatis, etc., aliud non ponitur suffragium quàm primum *Sancta Maria, succurre*, etc. (3).

(1) Dum dicenda sunt suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus vel pluribus patronis principalibus, facienda est commemoratio tantùm de patrono principaliori. S. R. C. 20 Novemb. 1685.

(2) Non sunt omittendæ in suffragiis communibus commemorationes SS. Salvatoris, nec S. crucis in eorum ecclesiis titularibus. S. R. C. 25 Aug. 1704.

(3) Pro suffragio B. Mariæ in ecclesiis eidem dicatis sub quocumque titulo, sive assumptionis, sive conceptionis, etc. sufficit consueta antiphona *Sancta Maria, succurre miseris*. S. R. C. 23 April. 1695.

Quando patronus est Angelus, vel sanctus *Joannes Baptista*, aut sanctus *Joseph*, horum commemoratio locatur ante suffragium SS. apostolorum; eò quòd sint in classe superiore respectu ipsorum.

In locis in quibus ecclesia est dicata omnibus Sanctis, nihilominùs fiunt suffragia consueta de *beata* et *apostolis*, ac post commemorationem *apostolorum* ponitur de omnibus sanctis patronis. Hic ordo depromitur ex officio parvo B. M. V., ubi in suffragio de omnibus Sanctis oratio de apostolis *Petro* et *Paulo* præponitur orationi de omnibus Sanctis.

In vigilia patroni, si gaudeat officio vigiliæ, ne bis fiat de eodem, omittitur patroni suffragium (1).

In ecclesiis ubi *S. Petrus* vel *S. Paulus* est patronus, illius commemoratio in suffragiis facienda est per antiphonam communem *gloriosi principes*, et in vesperis per hanc *Petrus apostolus*, ac orationem *Deus, cujus dextra*.

Tandem ultimo loco sit suffragium pro pace, quod est invariabile in laudibus et vesperis.

Quæres 1.º quid de eo qui plura possidet beneficia? Si in una tantùm resideat ecclesia, hujus solius patroni seu tituli suffragium faciet. Si in duabus successivè moretur, pro tempore residentie utriusque patroni successivè commemorationem recitabit: si verò nullibi resideat, patroni tantùm principalioris beneficii suffragium ponere debet. Si tamen talis beneficiatus non residens, quasi adscriptus foret loco domicilii,

(1) *Gavantus* de comm. commun. c. 55. n. 14.

officiaque frequentaret illius ecclesiæ, videtur potius teneri ad suffragium patroni ecclesiæ [cui inservit.

Quæres 2.º quid de eo qui accidentaliter per aliquod tempus frequentat officia alienæ ecclesiæ, v. g. ordinandus tempore exercitiorum? In choro cantans officium cum aliis satisfacit per suffragium patroni ecclesiæ ubi moratur. Idem dic, si cantet officia illius ecclesiæ propria. Hujus ratio desumitur ex bono conformitatis. Aliud est dum privatim legit officium; tunc enim tenetur facere suffragium proprii patroni, et officia recitare juxta proprium directorium.

Quæres 3.º quo ordine debeat fieri suffragium patroni, si Sanctus sit de veteri Testamento, v. g. *S. Job*? *Gavantus* ei locum signat post suffragium apostolorum. Nec obest quòd Sancti veteris Testamenti præcedant apostolos in litaniiis. Ad hoc enim respondet hoc ipsis fuisse concessum potius ordine temporis quàm dignitatis. Cùm autem hâc super re nihil sit decisum, adhærere quivis poterit hujus auctoris opinioni, donec reformetur.

X. In fine officii dicuntur antiphonæ B. M. V. quæ diversæ sunt pro diversitate temporis, et pro quarum successione sufficit inspicere rubricam breviarii. Solùm circa antiphonam *ave, Regina cælorum* olim motum est dubium, quando nempe sit ponenda, si officium purificationis habeat octavam, vel transferatur? sed dubium solvit S. C. decernendo esse recitandam secundâ Februarii post completorium absque ullo respectu ad festum purificationis (1).

(1) Quæsitum fuit utrùm antiphona B. M. V. *ave Regina cœ-*

Præsentes antiphonæ in officio privato dicuntur tantùm post laudes et completorium. Si tamen immediatè post laudes recitentur aliæ Horæ, non post laudes, sed post ultimam Horam dicuntur. In choro autem ponuntur post quamlibet Horam ante egressum: excipe, nisi post Horam celebretur missa, vel recitentur septem psalmi penitentiales, vel litanie, aut officium defunctorum, sive ex præcepto, sive ex mera devotione; in his enim casibus recedendum est à choro juxta rubricam, non præmissâ antiphonâ B. M. V. hocque locum habet etiam post laudes, dum eis succedit aliquid ex suprâ relatis; non tamen post completorium, in quo semper poni debet antiphona B. V. antequam aliud recitetur. Si post ultimam Horam, fiat in choro meditatio, juxta *Gavantum*, ante meditationem recitanda est antiphona de tempore, quamvis nondum è choro discedatur.

ARTICULUS XXIV.

De cæremoniis divini officii.

SIGNUM CRUCIS.

1.º PARVUM formatur cum pollice supra os ad primum verbum orationis præparatoriæ ad officium, scilicet *aperi*, et in initio matutini ad hæc *Domine, labia mea aperies.*

lorum semper dici debeat 2 Februarii, etiamsi festum purificationis transferatur, vel habeat octavam, et ad utrumque responsum fuit affirmativè. S. R. C. 11 Januarii 1681.

2.º Fit aliud majus cum manu aperta tangendo frontem, pectus et humeros ad initia omnium Horarum sub his verbis: *Deus, in adjutorium meum intende. Ad versum adjutorium nostrum in nomine Domini*, ante confessionem ad Primam et completorium; pariter et post eandem ad hæc verba, *indulgentiam, absolutionem*, etc. Sub fine Primæ post lectionem brevem ad hæc verba, *Dominus nos benedicat*, non verò ad *adjutorium nostrum*, prout quidam practicant. Item sub fine completorii, dum dicitur *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*, post *benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus*.

Item in officio solemnibus, dum officians discedit à choro ad thurificandum altare sub *Benedictus* et *Magnificat*: ita præscribitur in cær. episc. (1).

Extra hos casus abstinendum est à cruce signationibus: undè gratis nonnulli se signant infra preces feriales Primæ, dum dicunt *Deus, in adjutorium meum intende*; sicut et ii, qui in Primis quotidianis ter idem signum formant ad eundem versum ter repetitum.

Inclinatio capitis.

1.º Hæc fit ad omnes versus *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*; idque à principio in finem, seu usque ad *Spiritui sancto* inclusivè.

2.º Ad nomen *Jesu, Mariæ, Sancti*, cujus fit officium, vel specialis commemoratio, et Pontificis regnantis.

3.º Sub *confiteor* usque ad *misereatur* inclusivè, tum ad Primam, tum ad completorium.

(1) Lib. 2. cap. 1. n. 14. et ibidem c. 7. n. 3.

4.° Sub invitatione ad benedictionem ante lectiones : undè lector dicens *jube, domne, benedicere*, debet se vertere ad officiantem, et eidem caput inclinare.

Aliqui caput etiam humiliant ad versus sequentes psalmodum *Sit nomen Domini benedictum. — Sanctum et terribile nomen ejus. — Benedictus Dominus die quotidie. — Benedictum nomen majestatis. — Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus.* Et in completorio ad hos versus *Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum. — Benedicamus, Patrem, etc. — Benedictus es, Domine, in firmamento caeli.* Verùm cum hæc fiant præter rubricas, convenientiùs omittuntur, ne paulatim ex devotione indiscreta particularium novi ritus in celebrationem officii quotidie introducantur.

Genuflexio.

1.° Fit duobus genibus, dum hæc verba cantantur, *adoremus et procidamus* è tertio versu psalmi *Venite, exultemus*: excipe tamen cantores, qui non flectunt nisi iis finitis.

2.° Sub prima stropha, seu quatuor primis versibus hymni *Veni, Creator*. Quomodò præsens hymnus sit intonandus, vide articulum XVIII de festo Pentecostes, num. IX. Eodem modo flectendum est sub prima stropha hymni de beata *Ave, maris Stella*. Item infra hymnum crucis *Vexilla Regis* sub integra stropha *O Crux, ave spes unica*. Pariter sub hymno *Pange lingua* flecti debet ad hæc verba *tantum ergò Sacramentum*. Sed quamdiu genuflexio protrahi debeat? Magna lis est in-

ter auctores, magnaue in cæremonialibus variarum congregationum circa hoc dissonantia; sed omnibus attentè perpensis, adhærendum putamus iis qui tenent genuflexionem esse protrahendam à versu *Tantum ergò* usque ad *Genitori genitoque* exclusivè. Hæc autem genuflexio infra præfatum versum hymni *Pange lingua* locum tantum habet, quando Sacramentum est patenter expositum, vel saltem in tabernaculo reconditum. Idem quoque observatur infra stropham *O salutaris Hostia* hymni *Verbum supernum prodiens*, sed præcisè quando SS. Sacramentum est expositum.

3.º Genuflectitur infra hymnum Ambrosianum ad hæc verba *te ergò quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti*, et non ultrà.

Circa superius dicta adverte 1.º quòd si hymnus *Te Deum* alternatim cum organo persolvatur, semper cantari debeat versus *Te ergo quæsumus*, etc. (1). Idem dic de strophis hymnorum citatorum; dum exigunt genuflexionem, exigunt et cantari. Adverte 2.º quòd cantores, dum soli intonant prima verba alicujus strophæ, v. g. *Ave, maris Stella*, solùm ad genuflexionem teneantur, peractâ intonatione.

4.º Tempore adventûs, quadragesimæ, feriis majoribus et vigiliis, preces feriales recitandæ sunt flexis genibus. Item psalmi graduales, pœnitentiales, ac litanie omnium Sanctorum.

5.º Exceptis officiis omnium dominicarum per annum, et totius temporis Paschalis, flectendum est infra antiphonam B. M. V. in fine officii,

(1) Cærem. episc. lib. 2. cap. 5. n. 2.

pariter et sub oratione dominica, necnon salutatione angelica et symbolo post officium.

6.º Uno tantùm genu flectit lector, dum, absolutâ lectione, dicit *tu autem, Domine, miserere nobis* (1).

Statio.

1.º Præscribitur infra orationem dominicam, salutationem angelicam, et symbolum, modò hæc non pertineant ad preces feriales, de quibus suprâ n. 4.º vel ad officium defunctorum, aut nisi recitentur in fine officii.

2.º Ad initia omnium Horarum usque ad primum psalmum.

3.º Infra hymnum Ambrosianum, qui incipit *Te Deum*.

4.º Ad versiculos nocturnorum, et eos qui hymnos subsequuntur in laudibus et vesperis.

5.º Ad initium cujusvis homiliæ, seu infra illa quæ leguntur è textu evangelii, et non ultrâ.

6.º Sub capitulis omnium Horarum, et lectionibus brevibus Primæ et completorii.

7.º Infra cantica *Benedictus, Magnificat* et *Nunc dimittis*, quod et servari debet à populo.

8.º Hebdomadarius seu officians orationes stando recitare debet, sic etiam ut jam stans cantet

(1) His verbis petitur indulgentia super distractiones, quæ infra lectionem obvenire potuerunt. Hæc autem verba non ponuntur post capitula parvarum Horarum, quia ob eorum brevitate lecta supponuntur attentè. Dicuntur tamen post capitula ad Primam et completorium: eò quòd in precibus matutinis et vespertinis monachorum à quibus ad nos venerunt, essent prolixiora.

Dominus vobiscum, quam salutationem, si repetat, finitâ oratione, pariter stando id agere debet. Hic obiter adverti potest quòd in officio et extra officium ordinariè poni debeat tota conclusio orationis, quando eam præcedit et sequitur *Dominus vobiscum*; quando verò dicta salutatio non concomitatur orationem terminanda est brevi conclusione *per Christum Dominum nostrum*, vel, *qui vivis et regnas in sæcula sæculorum*, aut simili modo; quod observari videmus in orationibus post antiphonas de beata in fine officii, et plurimis aliis casibus.

9.º Standum est sub antiphona *Regina cœli* toto tempore Paschali. Utrùm hæc antiphona substitui possit salutationibus angelicis, vide art. XXIII. num. II. Pariter standum est sub aliis per totum annum à primis vesperis dominicæ, sive de dominica sive de Sancto dicantur, usque ad completorium diei sequentis inclusivè (1).

10.º In adventu stando recitantur lectiones officii parvi B. M. V., quia sunt de textu evangelii.

11.º Extra adventum, quadragesimam, et ferias majores sub precibus Primæ et completorii videtur standum esse; cùm enim rubrica temporibus et diebus suprâ relatis specialiter genufle-

(1) Auctor *Salve Regina* et *Alma Redemptoris* est *Hermannus Contractus*, monachus in Suevia, mortuus anno 1054. Juxta chronicon Spirenses cùm *S. Bernardus* audisset antiphonam *Salve Regina*, addidit: *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria*. Duarum aliarum, nempè *Ave Regina cœlorum*, et *Regina cœli*, auctor ignoratur, sed parvi refert, cùm præter melodiam in earum cantu nil miri exhibeant. Hæ quatuor antiphonæ in honorem B. M. V. non videntur locum invenisse in breviario Romano ante annum 1520. sub Pio V.

xionem præscribat sub dictis precibus, satis innuit non esse aliis diebus sub illis flectendum.

Sessio.

1.º Fit infra psalmos, ubi tamen consuetudo habet ut stando recitentur, juxta auctores retineri potest. In multis ecclesiis ad versum *Gloria Patri* omnes surgunt usque ad intonationem psalmi sequentis, quod laudabile est, et retineri debet, saltem dum officium cantatur.

2.º Infra lectiones et responsoria, nisi fortè hæc cantentur, et ad librum sit accedendum.

Nota exposito SS. Sacramento abstinendum esse à sessione, saltem in officio diurno: dico *diurno*; quia nonnulli ob officii diuturnitatem in matutino sessionem indulgent.

Tusio pectoris.

Fieri debet ad *Confiteor* infra Primam et completorium. Item, juxta *Lohner*, ter ad *Agnus Dei* in fine litaniarum de omnibus Sanctis, sed de hoc silent alii auctores et rubricæ.

Caput coöperitur et discoöperitur.

1.º Tegitur sub psalmis, lectionibus et responsoriis, seu quando habetur sessio: excipe, nisi sit expositum SS. Sacramentum.

2.º Detegitur ad versum *Gloria Patri* post psalmos et in responsoriis. Item quotiescumque inclinatio est facienda ad nomen *Jesu*, *Mariæ* aut *Sancti* cujus fit officium vel specialis commemoratio in officio.

Incensatio altaris.

1.º In laudibus et vesperis solemnibus ad *Benedictus* et *Magnificat* incensantur altare, chorus et populus; undè officians, cantato versu primo unius vel alterius cantici mox citati, se signat in fronte, pectore et humeris; tum accedit ad infimum altaris gradum, ubi factâ coram altari debitâ reverentiâ, ad illud ascendit, illudque, depositis hinc et indè manibus, in medio osculatur: hoc osculum in utrisque vesperis à cærem. episc. præscribitur, et ante incensationem ad *Benedictus*.

Celebrans igitur osculato altari, thus imponit ac illud benedicit; tum si Sacramentum in tabernaculo lateat, flectit uno genu, receditque postea uno circiter passu ab altari, et absque prævia capitis inclinatione ter crucem incensat, renovatâ autem genuflexione, reliquum incensationis peragit, ut tom. II. Praxis nostræ celebrandi missam, p. 5. art. I. n. III. Si in altari sit tantum crux, imposito thure accipit thuribulum, absque genuflexione recedit uno passu, ut supra, ab altari, et præviâ capitis inclinatione ter crucem incensat. Si Venerabile sit expositum, dum celebrans pervenit ad altare, flectit uno genu et deindè altare osculatur, injecto autem thure, renovat genuflexionem, receditque ab altari, ac flexus duobus genibus in infimo gradu, accipit thuribulum, et more solito ter incensat SS. Sacramentum. *V. t. II. p. 5, a. II. n. III.*

Finitâ altaris incensatione, officians incensatur extra gradus in plano capellæ, si sit expositum

SS. Sacramentum; aliàs in altari juxta cornu epistolæ, ac postea redit ad sedem in choro, vel ad gradus altaris prout fert ecclesiarum consuetudo, ad cantandam orationem.

Hic ergò diligenter est advertendum, quòd officians nihil præter altare incensare debeat, nec altaria parva, nec statuas per ecclesiam, nec chorum, nec populum; altarium quippè (1) et statuarum thurificatio est penitùs negligenda; chori verò et populi incensatio committenda est thuriferario.

Solus est casus in quo officians præter unum altare aliud incensare potest, scilicet quando in aliquo altari parvo est festivitas, putà ratione reliquiae alicujus Sancti, quæ in die obitùs ipsius speciali cultu honoratur, tunc incensato altari, in quo adest SS. Sacramentum, vel patenter expositum, vel in tabernaculo reconditum, procedere potest ad dictum altare, et illud eodem modo incensare. Ita auctores.

Notandum superest thuriferario, quòd, si incensatio nondùm sit peracta dum cantatur versus *Gloria Patri* post canticum, infra illum se convertere debeat ad altare, et inclinato capite hæerere usque ad *Spiritui sancto* inclusivè; quòdque officiante orationem incipiente, abrumpenda

(1) Exposito SS. Sacramento in altari majori dum sub *Magnificat* in vespis idem altare majus incensatur, an debeant etiam incensari alia altaria, ex eo quòd incongruum esse videtur relinquere in altari expositum Sacramentum; et utrum thurificato altari ubi est expositum Sanctissimum, debeat etiam fieri thurificatio illius altaris in quo estreconditum Sanctissimum in ciborio? Responsum fuit non esse thure adolenda alia altaria, licet alibi SS. Sacramentum asservetur. S. R. C. 7 Maii 1746.

sit incensatio, si nondùm sit absoluta : sed hoc inconueniens declinari facilè potest à cantoribus, nempè protrahendo canticum.

De benedictione aquæ, et populi cum illa aspersione.

I. Omnibus diebus dominicis in quavis ecclesia ante missam principalem aqua est benedicenda, et populus cum ea aspergendus : ita præscribitur in missali Romano ; proindèque absque culpa hæc benedictio et populi aspersione omitti nequeunt cùm quasi pertineant ad missæ principalis substantiam, uti benedictio cereorum in die purificationis, cinerum et palmarum suis respectivè diebus ; duo tantùm sunt casus in quibus benedictio aquæ negligitur ante missam dominicalem, nempè in diebus Paschæ et Pentecostes ; in ecclesiis enim ubi sunt fontes, fit aspersione cum aqua benedicta fontis, quæ pridie ante injectionem olei et chrismatis reservata est : ubi autem non sunt fontes, his diebus fit more solito aquæ benedictio.

Hic ritus aquam benedicendi, et aspergendi cum illa populum, non est in Ecclesia recentior ; de eo enim anno 852 loquitur *Hincmarus* episcopus Remensis, his verbis (1) : *Omni die dominico, quisque presbyter in sua ecclesia ante missarum solemniam aquam benedictam faciat in vase nitido, de qua populus intrans ecclesiam aspergatur, et qui voluerint, in vasculis nitidis ex illa accipiant : et per mansiones et agros, necnon super cibos et potum suum conspergant.*

(1) Capite 5.

Tom. III.

II. Igitur ante missam sacerdos celebraturus vel alter, stolâ super albam vel superpelliceum indutus, in sacristia benedicit salem et aquam, ut in missali; tum ipse celebrans pluviali coöpertus, accedit cum ministris ad gradus altaris.

Ubi deest sacristia, aqua est benedicenda in cornu epistolæ, et quidem tunc congruè cum pluviali (1).

III. Finitâ benedictione, celebrans, si aquam in altari benedixerit, descendit ex altari per medium, et genuflexus in infimo gradu altaris recipit sub debitis osculis à diacono, vel in minoribus ecclesiis ab alio, aspersorium madefactum, terque aspergit altare, scilicet in medio, in cornu evangelii, et in cornu epistolæ, cantans interea *asperges me vel vidi aquam*; pro diversitate temporum (2). Usus sat communis habet ut scabellum altaris aspergatur, et non illius

(1) Notat hic pater *Lebrun*, in ecclesiis ubi viget ritus Romanus communiùs aquam benedici in cornu sinistro altaris, licèt detur sacristia, hancque praxim asserit magis concordare cum antiquo ritu, et cedere in ædificationem populi. Tract. prælim. de sacrif. art. 6. : addique potest hunc usum conformem nunc esse Romanis rubricis; nam sic legitur in rituali Romano titulo de ordine ad faciendam aquam benedictam: *Diebus dominicis, et quodcumque opus fuerit, præparato sale et aquâ mundâ benedicendâ in ecclesia vel in sacristia, sacerdos superpelliceo et stolâ violaceâ indutus, primo dicit, etc.*: ubi indifferenter ad benedictionem aquæ assignatur ecclesia vel sacristia; adeoque ad nutum sacerdotis unus locus præ alio eligi potest. In oratione *Deus invictæ virtutis* in multis ecclesiæ Gallicanæ missalibus legitur *pietatis tuæ more sanctifices*, non rorè prout ferunt nostra missalia; idque videtur accidisse ex liberiorum errore, quòd posuerunt *r. pro m.*; utroque tamen modo sensus bonus inveniri potest.

(2) Sic rubricam missalis interpretantur *Gavantus*, *Merati* et plures alii, nempe intonandam esse antiphonam *asperges*

mensa, cùmque scabellum sit pars altaris, videtur rubricæ satisfieri. Interim dum Venerabile est expositum, omittenda est altaris aspersio, si enim altare non sit signandum exposito Santissimo sub fine missæ seu sub initio ultimi evangelii, à fortiori non videtur in pari casu aspergendum (1). Asperso altari, genuflexus frontem suum tingit aquâ benedictâ, ei applicando summitatem aspersorii; deindè erectus aspergit ministros, ac successivè clerum et populum. Infra aspersionem diaconus et subdiaconus concomitantur celebrantem, elevantes hinc et indè partem anteriorem pluvialis, ac alternatim cum eodem celebrante recitantes psalmum *Miserere mei, Deus*, à principio in finem. Ubi autem non adsunt ministri, præfatum psalmum solus absolvit celebrans (2).

IV. Circa modum in aspersione populi servandum, non est idem ubique; alii enim stant ad cancellos presbyterii, et fideles successivè per turmas accedentes aspergunt. Alii è contrâ et communiùs valdè circumeunt navem ecclesiæ, incipiuntque per partem cornu epistolæ respor-

me, dum altare aspergitur; huicque interpretationi concordant et cærem. episc. et praxis aliarum benedictionum, juxta quam cerei, cineres et palmæ aquâ lostrali asperguntur sub his verbis eodem tempore prolatis, scilicet *asperges me, Domine*, etc.

(1) *Gavantus*, de rubricis benedictionum, cap. 19. n. 15. et rituale Argentinense.

(2) Aquæ benedictæ aspersio in dominicis debet fieri per ipsum celebrantem, etiam quòd sit prima vel alia dignitas, non obstante contraria consuetudine quæ potiùs corruptela dici debet, cùm sit contra rubricas Missalis, et dispositiones cærem. episc. S. R. C. 27 Novemb. 1632: idemque confirmavit 16 Novemb. 1649. Excipitur episcopus pontificaliter celebrans, qui nec per se, nec per alium, populum aspergit.

dentem, et per aliam ascendunt. Non est autem necesse ultra navem circumire omnes itus et reditus ecclesiæ; nam cum fideles aspergantur per modum corporis, effectus aspersionis ad eos etiam se extendit, qui aquâ lustrali non tinguntur, idque præsertim locum habere debet in exequiis quæ fiunt in amplis ecclesiis cum magno populi concursu, ne aspersionis nimis morosa sit adstantibus.

V. Sacerdos ad altare reversus, et factâ coram altari reverentiâ, stando ante infimum altaris gradum cantat versus et orationes, ut in missali, librum hinc et indè tenentibus ministris, vel ipsomet sacerdote in ecclesiis minoribus (1).

VI. Post dictas preces celebrans in plano presbyterii juxta cornu epistolæ, aut in sacristia exiit pluviale; et accipit manipulum ac casulam ad celebrandum.

VII. Quoad rationes hujus cæremonix, præcipuæ sunt sequentes: 1.º immittitur sal in aquam,

(1) In oratione post aspersionem supplicamus, ut Deus mittere dignetur sanctum Angelum suum de cælis qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Olim dum fiebat aspersionis per claustrum, dormitorium, culinam et alia loca domuum religiosarum, hæc oratio optimè resonabat, sed non ita nunc, dum in ecclesia legitur, quia 1.º scimus ibi adesse Angelos continuo Deum adorantes. 2.º Quia habitaculum potius significat locum profanum ab hominibus frequentatum, quàm Templum: undè in novo missali Ecclesiæ Pictaviensis mutatum est. *Defendat omnes in hanc sanctam Domum convenientes.* Nihilominus aliquo modo verificari potest præsens oratio licèt facta in Domo Dei, quia, licèt Angeli jam locum illum inhabitent, nil obest quin Deum oremus, ut Angelum specialem mittat ad nostri custodiam, et per hoc habitaculum sensu latiori potest Templum Dei intelligi.

non modò ad illius corruptionem impediendam, sed altiori de causa, nempe ad significandum non obtineri effectum aquæ lustralis seu deletionem culparum venialium absque pœnitentia, quæ indigitatur ipsius salis amaritudine. 2.º Aspergitur altare, ut purificetur ac sanctificetur locus in quo debet orare sacerdos et missæ sacrificium agere, utque ab eo omnes diabolici incursus declinentur. 3.º Iisdem rationibus asperguntur fideles, nempe ut purificati, et à dæmonum insidiis liberati piè ac devotè sacrificio intersint.

VIII. Benedictio aquæ ritus est in Ecclesia antiquissimus; nam *ex Durando* (1) et aliis passim, eum instituit *S. Alexand. I*, qui ad summum Pontificatum fuit elevatus anno 109 et mortuus est anno 119. Usus aquæ lustralis est varius: 1.º reservatur in aspersionem infirmorum; eâ quippe, juxta dispositionem rit. Rom., minister viatici et extremæ-unctionis ægrotos aspergere debet. 2.º Servatur ad fores ecclesiarum pro ingredientibus et egredientibus. 3.º In domibus fidelium, ut manè surgentes et vespere decumbentes se illâ intingant. Effectus hujus aquæ sunt qui supra, scilicet removet dæmonum insidias et tentationes, impedit maleficorum conatus, ac peccata quotidiana seu venialia delet, non quidem directè, sed saltem mediatè, quatenùs vi precum Ecclesiæ in nobis excitat compunctionem, quâ dicta peccata tolluntur. Hi effectus deducti sunt è verbis orationum quibus aqua benedicitur. Hinc detestandus venit error *Flagellantium*, et *Lollardorum*, qui negabant aquam benedictam

(1) Lib. 4. cap. 5. n. 1.

plus habere virtutis, quàm aqua profana, quique aspergillum aquæ benedictæ clavem infernalem vocabant. Eundem errorem æmulati sunt impii *Lutherus*; *Calvinus*, *Brentius*, ac reliqui hujus farinae homines.

APPENDIX PRIMA

DE QUIBUSDAM SPECTANTIBUS

AD RECITATIONEM

DIVINI OFFICII.

INTER obligationes quibus clerici afficiuntur, maximè ponderosa est illa quotidie recitandi officium; adstringit enim sub reatu æternæ damnationis non tantùm eos qui toto vitæ cursu illud negligunt, sed et omnes qui diurnum officium, aut etiam partem illius notabilem, putà parvam Horam, vel partem æquivalentem omittunt, seu absque debita dispositione persolvunt: hinc magis refert, ut unusquisque ad enarrandas Dei laudes deputatus, suâ legatione debite fungatur; recitatio quippè divini officii materiam terribilis iudicii parat iis qui singulis diebus præcipitanter, et absque ullo sensu pietatis breviarium expediunt. Acturi in hac appendice de hoc onere, totam materiam complectemur quatuor articulis. In primo agemus de iis qui tenentur ad officii recitationem. In secundo de dispositionibus requisitis in illud recitanti-

bus. In tertio de loco, tempore et ordine divini officii, et in quarto de qualitate breviarii quo quis uti potest et debet.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis qui tenentur ad officium divinum.

I. Ad illud tenentur omnes sacro subdiaconatus ordine initiati; hac super re exstat consuetudo ita generalis, ut, etiam sepositâ lege positivâ, se solâ sufficiat ad hanc obligationem constituendam: porrò hæc obligatio nascitur cum characterè ordinis: sic ut ordinatus, circa solis ortum debeat incipere officium per partem illi tempori respondentem, id est, per Primam; si circa horam nonam, per Tertiam; vel si circa meridiem per Sextam, ac deinceps continuare tenetur omnibus diebus vitæ suæ, nisi infirmitate, aut aliâ gravi causâ legitimè impediatur.

Hic adverti potest, quòd assumpturus subdiaconatum, obligationi suæ futuræ non satisfaciat parvas Horas diei recitans præviè ad sui ordinationem: ratio hujus est, quòd nondùm adsit ordinationem: ratio hujus est, quòd nondùm adsit ordinationem: adeòque ei non possit facere satis: præsertim cum officium divinum recitetur à clericis tanquam à personis ab Ecclesia deputatis, et ipsam in hac functione repræsentantibus, quæ qualitas non convenit alicui, nisi ordinem jam receperit. Idem videtur dicendum de beneficiato, qui ante ordinationem parvas Horas recitaret, easdem, quas subdiaconus, repetere tenetur: quippè ante ordinationem vir erat tantum, ut ita dicam, fundatoris, sed post ordina-

tionem Ecclesiæ minister constituitur, novaque et speciali obligatione ad officium divinum induitur; adeoque illi de novo satisfacere tenetur: ergò beneficiatus qui intendit semel tantùm parvas Horas legere, lectionem earum post ordinationem differat necesse est.

II. Ad officium divinum tenentur, qui possident beneficium ecclesiasticum: hæc obligatio ex concilio Later. sub Leone X (1), verbis sequentibus exprimitur: *Statuimus et ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii et temporis; sed eos fructus tanquam injustè perceptos, in fabricam hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleëmosynas erogare teneatur: si verò ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitimâ monitione præcedente, beneficio ipso privetur, cum propter officium detur beneficium.*

Ex his verbis constat beneficiatum, in sacris ordinibus constitutum, duplici titulo teneri ad officium, scilicet religionis et justitiæ: undè talis illud negligens duplex committit peccatum in confessione exprimendum.

Circa onus restituendi, quo afficitur beneficiatus negligens divinum officium, sequentia veniunt observanda. 1.º Conc. Later. restitutionem non urget, si quis sex primis mensibus officium negligat; ratio hujus indulgentiæ alia nescitur, nisi quòd primis mensibus ignorantia rituum

(1) Sessione 9.

breviarii negligentiam videatur reddere veniabilem. 2.^o Elapsis sex mensibus, negligens officium, vel illud indebitè legens, subjicitur oneri restitutionis, idque in foro conscientiae et ante omnem judicis sententiam (1). 3.^o Hæc restitutio fieri debet ad mensuram negligentiae; hoc est juxta Pianam constitutionem, quòd omittens totum diei officium, restituere debeat omnes beneficii fructus diei respondentes. Si autem quis matutinum cum laudibus omittat, vel indebitè recitet, medietatem fructuum diei perdit. Item die, si lecto matutino cum laudibus negligat reliquum officii diurni. Si tandem quis parvam Horam non recitet, sextam partem medietatis, seu duodecimam totius diurni fructus restituere tenetur; est enim sensus horum verborum dictæ constitutionis Pianæ: *qui harum, nempè parvarum Horarum, singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat; aliàs plus restituere deberet qui quatuor parvas Horas, quàm qui sex negligeret.*

Hæc restitutionis obligatio etiam afficit beneficiatos cum cura animarum; equidem juxta communem sententiam aliquid detrahi potest ob alia onera, quæ præter officii lectionem pastores sustinere debent; proindèque pastor negligens totum diei officium, non omnem fructum diurnum perdit, sed tantum partem juxta judicium pruden-

(1) In bulla quæ incipit *Ex proximo*. Debetur autem hæc restitutio in conscientia, etiam ante quamcumque sententiam declaratoriam judicis, uti patet ex prop. damn. ab Alex. VII. Nec obligationi isti satisfieri potest per alias eleemosynas quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit, ex prop. 33. ibidem.

lis confessarii, qui diligenter attentis parochi obligationibus et curis, moraliter quantitatem restitutionis determinabit. Attamen hac super removeri posset dubium, eò quòd bulla determinans restitutionis quantitatem non distinguat inter pastores et alios; sic ut non venient ad præsentem obligationem considerata varia pastorum onera.

Hæc materia plures adducit quæstiones practicas, quas seorsim breviter tangemus.

Quæres igitur 1.º quando incipiat officii obligatio respectu beneficiati?

R. Dum institutione legitimâ munitus accipit beneficii possessionem: undè collatio, seu præsentatio, neque etiam institutio, quamdiu provisus non est in possessionem immissus, sufficit ad procreandam officii obligationem: ita communiter auctores; et ratio est quòd solus ingressus in possessionem tradat jus in re. Caveat tamen quis, ne ex industria differat ire in possessionem, ut à lectione officii eximatur; fraus enim et dolus nemini patrocinantur; adeòque receptis institutionibus, si nullum adsit impedimentum, primâ morali opportunitate sub gravi tenetur se in possessionem immittere, et debitum officii fundatoribus reddere.

Quæres 2.º quid dicendum de litigantibus pro beneficio?

R. Lite pendente, quamvis institutiones et possessionem adepti sint, non tenentur Horas legere, quia adhuc jus utriusque est incertum; et super eo consequenter fundari nequit obligatio minima ad officium: ita plurimi auctores de laxitate minimè suspecti. Et quidem hæc sententia sat plausi-

bilis videtur, in supposito, quòd litigantibus nulla spes supersit fructus recuperandi lite finitâ, at si fructus seponantur et victori reserventur, non est ratio cur eximerentur à debito officii, quia ratione fructuum, qui uni vel alteri cedent, fundator jus habet ad recitationem divini officii, quæ cum neutrum determinatè afficiat, utrumque adstringit, maximè his infaustis temporibus, in quibus lites, ut ita dicam, interminabiles redduntur, sic ut ex omissione officii fundator sine sua culpa magnum damnum sustinere teneretur. Interim si alicui possessio fructifera adjudicetur, licèt res in petitorio discutatur, indubium est hunc, cum fructus colligat, officii debitorem fieri.

Quæres 3.º an coadjutores lege officii adstringantur?

R. Negativè, quia jus tantùm habent ad beneficium post mortem coadjuti, qui illud retinet et fructus.

Quæres 4.º de iis qui sub pensione beneficium dimittunt?

R. Cum beneficium ad alium transeat cum fructibus, huic incumbunt omnia onera beneficii: attamen si is qui beneficium demisit, non sit constitutus in ordinibus sacris, et consequenter titulo ordinis officium non recitet, ex constitutione *Pii V.* (1) debet saltem singulis diebus recitare officium parvum B. M. V. Hanc

(1) Quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, ut clericus, percipit, eum.... ad dicendum officium parvum B. M. V. decernimus obligatum; et pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. *Pius V. bulla 155. Ex proximo.*

obligationem extendimus ad eum qui ex indulto in extinctionem pensionis summam pecuniæ reciperet; in hoc enim casu non moritur obligatio ad dictum B. V. officium, quia in idem redit, sive quotannis certam pecuniæ portionem recipiat, sive totum simul et semel; proindèque non minùs in uno quàm alio casu Ecclesiæ debet obsequium.

Quæres 5.º ad quid teneatur qui tenues admodum è beneficio fructus percipit?

R. Imprimis qui nullos omninò fructus percipit è beneficio, ab omnibus ferè eximitur à debito breviarii, et res per se loquitur: excipe tamen eum, qui defectu residentiaè nihil lucratur; beneficiarius enim in causa est, et non beneficium; adeoque fundatores indè nihil pati possunt. Pariter qui ob aliquod accidens, v. g. bellum, tempestatem uno vel altero anno nihil percipit, nihilominùs tenetur officium legere, quia anno ubertatis, quando beneficium dat fructus duplo majores, non ideò obsequium duplicat, proindèque minuere non debet anno sterilitatis; qui enim sentit commodum, sentire debet et incommodum.

Quæstio est igitur de eo, qui non per accidens, sed per se, et ex natura ipsius beneficii tenues fructus colligit. Et circa hoc diversæ sunt sententiæ, quarum quælibet est plausibilis. Alii talem eximunt à servitute breviarii, quia parùm pro nihilo reputatur. Alii talem obligant ad officium diebus dominicis aut festivis, vel ad officium parvum B. M. V., quia cum aliquid percipiat, aliquid debet Ecclesiæ et fundatoribus. Alii tandem talem cogunt ad quotidianam totius

officii recitationem, quia hîc fructus non veniunt tantum computandi, sed et sunt attendenda privilegia fori, quibus gaudet clericus vel tenuissimum possidens beneficium.

His attentis sententiis æquè probabilibus, in praxi starem usui communi diœcesis in qua viverem; quod si usus me lateret, episcopi seu ordinarii consilium quærerem et illi tutò adhærerem. Interim in his locis tenues fructus reputari nequeunt centum floreni, quia notabiliter concurrunt ad clerici sustentationem; adeoque illos percipiens è beneficio ad totum officium tenetur.

III. Ad officium tenentur religiosi et moniales ad chorum solemniter professi, idque vi consuetudinis generalis, quæ in nonnullis familiis religiosorum, specialibus firmatur constitutionibus; incipit autem hæc obligatio ab instanti quo quis emittit vota solemnia; sicut recitare debeat Horam suæ professioni respondentem, ut diximus de ordinato.

Ex his inferes 1.º Novitios ad officium non teneri infra tempus probationis. Idem dic de equitibus Melitensibus, et *S. Jacobi*, quorum est religionem armis defendere.

Major est difficultas de filiabus nobilibus et aliis quæ in certis capitulis præbendas possident, an absentes à choro ad officii pensum teneantur? Imprimis si dicta capitula fuerint erecta supra ruinas aliorum, quibus inerat obligatio officii (talìa sunt, juxta *Mabillon*, omnia capitula Belgii, et patriæ Leodiensis; in illis quippè, testante eodem auctore, Canonissæ sunt substitutæ Benedictinis), indubium videtur eas teneri privatim

officium legere, dum absunt à choro, quia redditus ad eas transierunt cum onere officii.

Dum autem capitula fuerunt erecta liberalitate quorundam ad suppeditandam matronis nobilibus congruam sustentationem, ut honorabile connubium expectare valeant, si ad illud à Deo vocentur, lis est magna inter auctores, an absentes à choro officium privatim legere teneantur? Nonnulli eas eximunt in tali casu à debito officii; hâc potissimum ratione, quòd fundatores principaliter intenderint earum sustentationem, et consequenter eas rigorosè ad lectionem officii, saltem extra chorum, obligare noluerint. Aliqui tamen ex illis limitant, modò absentia non sit diuturnior, aliàs juxta eosdem peccarent, et ad restitutionem tenerentur.

Verùm alii, inter quos *Malderus* episcopus Antverpiensis, *Wiggers*, *Henricus* à *S. Ignatio*, altà voce eas proclamant sub gravi et sub onere restitutionis ad officium obligatas toties, quoties à choro absunt. Horum ratio est, quòd præbendæ in illis capitulis naturam habeant beneficiorum ecclesiasticorum; jus enim tribuunt ad stallum in choro, ad fructus percipiendos è thesauris Ecclesiæ; possunt et illas resignare; proindèque sicut canonici et beneficiati à choro absentes officium legere tenentur, ita et illæ.

Quoad fundamentum primæ sententiæ, illud evertunt dicendo, equidem tales præbendas principaliter fuisse erectas in gratiam familiarum nobilium, sed cum hoc optimè stare obligationem quotidianam officii, ut personæ iis provisæ tempus piè impleant, et aliquod benefactoribus reddant obsequium.

Nec obest praxim esse contrariam in aliquibus capitulis. Est enim id de quo hîc quæritur, an sit legitima, an damnabilis abusus?

Ex his resultat saltem esse dubium prudens, an tales personæ sint debito officii obstrictæ, dum à choro absunt; adeoque in re tanti momenti, ubi agitur de gravissimo restitutionis onere, et de earum damnatione æterna, pars tutior videtur eligenda. Quòd si hoc jugum ipsis nimis grave videatur, pro securitate conscientiæ Sedes apostolica desuper consulatur, illius decisio, et non mollium casuistarum opinio, potest animos in re tanta quietos reddere.

ARTICULUS II.

De dispositionibus requisitis ad debitam divini officii recitationem.

DISPOSITIONES ad officium requisitæ eleganter exprimuntur his verbis orationis præparatoriæ ad illud: *Ut dignè, attentè, ac devotè hoc officium recitare valeam*, de quibus singillatim quædam hic dicemus.

I. Per particulam *dignè* designatur mundities conscientiæ; quidquid enim aliud fingi potest ad reddendum sensum proprium hujus particulæ, necessariò revocari debet ad attentionem vel devotionem. Prima igitur dispositio ad lectionem divini officii est status gratiæ, in quo et per quem oratio fit meritoria vitæ æternæ, et longè efficacius ascendit in odorem suavitatis ad thronum Altissimi: hinc omnes quibus incumbit stare inter vestibulum et altare, ut orent pro se et deindè

pro populo , se continuâ attentione Deo unitos vinculo gratiæ sanctificantis servare debent. Interim tamen si quis ad iniquitatem manus extenderit , non ideò eximitur à debito officii ; modò enim affectum deposuerit , potest utiliter Deum exorare (Deus quippè cor contritum et humiliatum non despicit) et consequenter obligationi satisfacere.

Nec obstat quòd oratio peccatoris sæpè in Scriptura dicatur coram Deo *abominabilis* , et Psal. 65 legatur : *Si iniquitatem aspexi in corde meo , non exaudiet Deus.* In his et similibus locis agitur de iis qui conservant affectum actualem ad peccatum mortale , seu qui illud committunt actualiter in corde suo , quique consequenter carent infra orationem omni piâ erga Deum affectione ; horum orationes constat esse steriles et sine fructu , ac à Deo rejici his verbis : *populis hic labiis me honorat ; cor autem eorum longè est à me.*

II. Secunda particula *attentè* denotat mentis occupationem sub lectione officii. Hæc mentis applicatio triplex est ratione objecti , scilicet ad Deum , ad verba et ad sensum verborum. Prima ad Deum habetur , dum quis sub officii recitatione meditatur aliquod divinum mysterium , v. g. passionis Christi , de qua scripta sunt sequentia carmina , ut aliquis sub qualibet Hora inveniat novam meditationis materiam.

*Hæc sunt septenis propter quæ psallimus Horis ;
Matutina ligat Christum , qui crimina purgat :
Prima replet sputis : causam dat Tertia mortis :
Sexta cruci nectit : latus ejus Nona bipartit :
Vespera deponit ; tumulto Completa reponit.*

Alterà ad verba habetur, dum quis sub officio occupatur, ut nihil omittat, verbaque ac syllabas integrè proferat.

Tertia tandem ad sensum verborum, dum quis studet percipiendo sensum sive litteralem, sive spiritualem eorum quæ legit.

Quævis ex his sufficit (1) : nobilior tamen est attentio ad sensum verborum, quatenus nutrit attentionem actualem, et legentem instruit; hinc litterati sub officio illâ occupari debent, et aliàs dimittere monialibus, aliisque personis indoctis. Ut autem hæc attentio litteratis proficiat, necesse est ut quamdam habeant notitiam Scripturæ, et præsertim psalterii, è quo desumitur tota, ut ita dicam, substantia divini officii : porrò hanc notitiam quisque facili negotio sibi comparare potest; legendo enim quotidie unum psalmum cum illius interpretatione (2), brevi erudietur in libro psalmodiarum; sicque majori cum lucro quotidie divinum persolvat officium : turpe est ergò videre tot clericos annis gravatos, et adeò in psalmis peregrinos, ut præter sonum, nihil in illis capiant.

« (1) Quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio; undè etiam illi qui non intelligunt orationis verba ad orationem attentis esse possunt. » *S. Thomas* in 4. d. 15. q. 4. art. 2. quæstiunc. 4. Plures tamen cum Sylvio insufficientem habent attentionem ad verba, eamque reputant ut attentionem merè externam, quæ consequenter non sufficit ad orationem; quare in dubio præstat viros illitteratos et moniales mentem sub officio divino occupare circa Deum meditando infinitas ejus perfectiones, vel Christi redemptoris mysteria, de quibus supra.

(2) Eleganter scripserunt in psalmos cardinalis *Bellarminus* et *Simeon de Muis*: primi opera tomo in 4.º concluduntur; secundi verò duobus ejusdem formæ: studio J. N. Paquet.

Attentio deindè ratione suâ dividitur in actualem et virtualem. Prima, quantum fieri potest, infra officium est nutrienda, seu mens est continuo orationi applicanda. Verum cum id, attentâ infirmitate humanâ, sit moraliter impossibile, consequenter non requiritur: sufficit ergò virtualis, quæ alia non est, nisi actualis, non retractata, et in effectu perseverans: hujus natura melius elucebit in exemplo, v. g. aliquis, incipiens officium, mentem suam ad Deum elevat, proponitque eam ad Deum sustinere usque in finem officii; interim in illius decursu mens involuntariè ad alia distrahitur; si ad hoc advertens, mentem statim ad objectum orationis revocet, omnia, quæ pendente tali distractione transierunt, attentione virtuali sunt vivificata; proindèque ex iis nihil est repetendum. Aliud foret, si distractione advertens, illam nutriret, vel ad illam se permisivè haberet; in hoc supposito cessat oratio defectu attentionis.

Circa distractiones in officio involuntarias meretur notari non raro venire ad culpam imputandas; et id accidit quando sunt in causa voluntariæ: hinc multum distractus negotiis temporalibus, aut humanis conversationibus, si absque præparatione divinum officium aggrediatur, et inde distrahatur licet invitus, nihilominus reus est coram Deo defectu præparationis, seu retractationis causæ; scriptum quippè est (1): *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Idem dicendum de eo, qui sine necessitate attentaret officium recitare

(1) Eccli. cap. 18. v. 25.

in loco, ubi strepitus, confabulationes, risus, etc. resonant: si indè mens evagetur, distractiones sunt in causa voluntariæ, ut attendenti patet, adeoque culpabiles.

III. Particula *devotè* duo importat, unum ex parte corporis, aliud ex parte animæ: hinc duplex devotio; scilicet externa et interna. Prima consistit in humili et reverenti corporis et linguæ compositione; qui enim Deum orat, supplex est; adeoque ut supplicem se gerere debet, et imprimis situ corporis caput detegendo et genua in terram procumbendo, ut inter alios practicârunt *S. Franciscus Salesius* ac *S. Vincentius à Paulo*. Quòd si quis officium persolvat stando vel sedendo, prohibet devotio, ne desidiosè caput in manum declinet, ne crura complicet, ne oculis curiosis objecta præsentia percurrat, ne legat aliquid officio extraneum, rideat, aut confabuletur; hæc enim omnia devotioni repugnant, ac etiam quædam ex illis attentioni. Recitare Horas inter ambulandum, nihil vetat; idque constat ex praxi Ecclesiæ, quæ infra processiones certas preces recitandas præscribit; ast in hoc casu oportet vias non esse nimiùm arduas, ac ab hominum frequentatione nimia remotas.

Devotio externa deindè requirit linguæ compositionem, seu ut legens officium cum omni gravitate, modestia, ac reverentia Deum alloquatur: hæc dispositio singularem exigit attentionem, eò quòd multi admodum exigunt officium, sive cantu, sive privatâ lectione, ita præcipitanter persolvunt, ut non Deo deorum, qui scrutatur corda et renes, sed simulacro inanimato famulari videantur. Sunt et alii in

hac devotione externa deficientes, nempe scrupulosi, quatenus nimiam anxietate officium recitant, quique continuo muti hærent separantes partem à parte officii, ac qui non raro incidunt in repetitiones, non sine sensu et verborum confusione. Profectò hæc praxis non modò est ridicula, sed et erga Deum irreverens, adeoque reprehensibilis. Hic morbus teterrimus ordinariè ducit originem ex malè apprehensis Dei attributis; immemores enim scrupulosi infinitæ Dei misericordiæ, solùm concutiuntur terribilibus illius judiciis: hunc autem morbum nutriunt spiritu pertinaciæ, quo ducti propriis inhærent existimationibus, ac aliorum decisionibus obedire renuunt. Ad horum igitur curationem, prudentis est directoris ipsis inspirare quoniam habemus Pontificem, qui noscit figmentum nostrum, quique scit compati nostris infirmitatibus, ac cæcæ ex parte ipsorum sibi vindicare obedientiam, sine qua nihil proficiet cum illis. Interim ipsis severè prohibebit omnem in officio repetitionem, quòd si morbus ingravescat, et etiam lectionem officii: leges quippè humanæ non obligant cum gravi alicujus nocumento, quod et poterit ipsis inculcare ad quietandos eorum animos.

Devotio interna est pius in Deum affectus sub officio; legens ergò illud, ex tali functione quamdam in se exultationem sentire debet juxta illud: *Hilarem datorem diligit Deus*. Equidem non est penes hominem hunc pium affectum pro libitu concipere; ideòque illius absentia non semper arguit indevotionem, sed solùm quando quis voluntariè ei ponit obicem, uti accidit in iis qui se nimis distrahunt in conversationibus et ne-

gotiis humanis, verbo, qui ducunt vitam nimis mundanam; cum enim nemo possit duobus dominis servire, impossibile fit ut affectus erga res creatas benè erga Deum afficiatur. Aliud est de iis qui vitam agunt solitariam, quique dies terunt in utilibus et honestis occupationibus, v. g. in studio; pià lectione, ac exactâ obligationum repletionem; si tales interdum nullum inveniunt saporem in divino officio, non est cur indè inquietentur, quia non indevotione laborant, sed animi sterilitate, quam plurimi SS. passi sunt, et quidem aliqui diuturno tempore: hæcque animæ sterilitas dum patienter sustinetur, ad coronam duplicatur.

IV. Tandem his dispositionibus adjungi debet intentio, seu voluntas honorandi Deum et satisfaciendi debito officii; ad hanc intentionem formandam inservit elegans et pia oratio breviori præfixa, quæ incipit, *aperi, Domine, os meum ad benedicendum*, etc. Hæc oratione præmissâ, tranquillè recitandum est totum officium; undè frustra nonnulli se cruciant ad exactiorem formandam ante officium intentionem; frustra que magna cum anxietate, et non absque devotionis et attentionis præjudicio, in decursu officii illam renovant; talis sollicitudo vana est et omninò damnabilis, cum in attenta et devota officii recitatione necessariò imbibatur sufficiens intentio; sic ut modò aliquis non dicat expressè *nolo satisfacere*, certissimè debitam habeat intentionem: non enim requiritur expressa et formalis, sed sufficit habitualis et etiam interpretativa, prout omnes docent de eo, qui in die festivo devotè missam audit, ignorans esse præceptum illam audiendi, quique ore omnium satisfacit suæ obligationi.

ARTICULUS III.

De loco, tempore, et ordine divini officii.

I. Locus divini officii diversus est pro diversitate personarum : undè religiosi ad chorum professi, non alibi, sed in choro, nisi legitimè impediuntur, laudes divinas persolvere tenentur; est enim munus ipsorum essentialia.

His canonicos (1) annumerare oportet; sunt enim choro consecrati, et quidem strictiùs quàm

(1) *Canonicus* à canone, seu regula etymologiam sumit; adeòque canonicus idem significat ac persona in vita et moribus regularis, habetque consequenter in nomine, quo præ aliis clericis ad perfectam sacrarum Ecclesiæ canonum observationem stimuletur. Ex omnibus Ecclesiæ monumentis constat canonicos vitam olim egisse communem; in eodem quippè dormitorio decumbabant, ac in eodem refectorio edebant: horum ædificiorum monumenta in nonnullis locis Coloniae Agrippinæ, Tornaci, Brugis, Insulis, et alibi videntur; vivebantque ad instar ferè canonicorum regularium sub uno superiore. Hæc vita communis, juxta *Bartholomæum Fisen*, lib. 10. cap. 10. Hist. Leod. adhuc vigeat Leodii sæculo XII, sed alibi citiùs desiit: nam juxta *Trimetium* ad annum 975 nonnulli tunc temporis, abjectâ vitâ communi, reservatâque sibi portione congruâ fructuum, ad vitam singularem convolârunt. Interim non obstante vitæ communis alteratione, nihil quidquam fuit variatum in officio et obligationibus canonici: undè nunc sicut olim, definitur canonicus, nempè *clericus à Deo electus ad laudes ipsius in choro cantu enarrandas*.

Primò: dicitur *clericus*, quia ad possessionem beneficii necesse est ut quis sit sacrâ tonsurâ initiatus: dum autem tonsuræ accedit beneficium, indè resultat obligatio, de qua Trid. sess. 14. de reform. cap. 6. semper et ubique deferendi habitum clericalem, id est, vestem talarem, aut saltem, ubi toleratur, vestem breviorē, sed coloris nigri, tonsuram in vertice capitis, et colare ecclesiasticum: illaque gravis est, uti innuunt pœnæ in citato concilio latæ contra delinquentes; nempè su-

religiosi ; siquidem non residentes fructus non faciant suos ; adeòque et hi quotidianum laudis

suspensionis , et privationis beneficii , si semel moniti , denuò delinquant. Undè non videtur quàm ratione tutò vivere queant tot canonici aut beneficiati , quos non pudet palam incedere cum vestibus , et quoad formam et quoad colores purè laicalibus.

Eheu ! indè probant se manifestè contra Dei consilium intrusos in Ecclesiam : talique habitu publicè exhibent signum suæ reprobationis ; nam deferendo vestes mundanas , et servando illas ad ulteriorem earum delationem , continuò impingunt in sacros canones , et si sint constituti in ordinibus sacris , rei fiunt gravis perjurii ; dicitque meritò potest tales incidere in quamdam à clericatu apostasiam ; quare Ecclesia privatione beneficii eos à suo sinu rejicit.

Secundò : dicitur à Deo *electus* , quia ad legitimam beneficii adeptionem divina vocatio ita requiritur , ut sine illa consequens beneficium periculo quasi manifesto damnationis æternæ se committat ; scriptum quippè est ad Rom. cap. 8. *Quos autem prædestinavit , hos et vocavit , et quos vocavit , hos et justificavit , quos autem justificavit , illos et glorificavit , et lege contrariorum quos non vocavit , illos nec glorificavit.* Porrò ad legitimam vocationem canonici , sequentes in eo requiruntur dispositiones.

1.º Vitæ sanctitas et morum innocentia , ut puro corde quotidianum laudis sacrificium Deo offerre possit.

2.º Spiritus precum seu orationis , quo perfusus sacra cantatione cantu promere in deliciis habeat.

3.º Vox expedita ad cantum , et peritia sufficiens in eo ; qui enim ad aliquid se ligat , debet in se invenire media ad illud conducentia : sed canonicus ad cantandas Dei laudes se consecrat : ergò etc.

4.º Donum castitatis , cum vinculo continentiae sit adstringendus.

5.º Scientia sacrorum canonum , seu legum ecclesiasticarum , quorum observationi præ cæteris clericis invigilare tenetur canonicus , uti nomen innuit : undè Trid. sess. 24. cap. 12. hortatur , ut saltem dimidia pars canonicatum , tum in cathedralibus , tum in collegiatis insignibus conferatur tantum magistris , vel doctoribus , aut etiam licentiatis in theologia , vel jure canonico.

6.º Tandem recta intentio : censetur autem quis rectam habere intentionem , dum immemor bonorum temporalium , præ

sacrificium, non alibi, sed in choro, et quidem proprio ore Numini supremo offerre tenentur;

cisè intendit in statu canonici quærere gloriam Dei, et salutem animæ suæ: hæc est lapis lydius, quo filii Dei discernuntur à filiis hujus sæculi: hi enim beneficia prosequuntur propter fructus temporales, illi propter Deum, cui servire intendunt. Intrusi fructus vel inordinatè expendunt in luxu, comessationibus, ebrietatibus, et fortè in luxuriis, aut præ avaritia thesaurizant ad ditandos consanguineos, qui è contrà, justo Dei judicio, prout experientiâ non infrequenti constat, indè brevi ad summam reducuntur egestatem; eò quòd bona ecclesiastica laïcorum patrimonialibus permixta, hæc secretâ maledictione inficiant; ita ut litibus aut aliis infaustis eventibus totum subito dissipetur. Legitimè verò vocati è redivisibus quamvis justo titulo acquisitis solùm trahunt victum et amictum pro sui conditione honestum, et superflua juxta debitum charitatis, aut etiam justitiæ erogant in pauperes, quos et in fine eorumdem bonorum faciunt hæredes. Tandem qui non intrant per ostium debitæ electionis, officium divinum negligentes, seu chorum frequentantes in quantum præcisè opus est, ut fructus faciant suos coram hominibus, dies miserè ducunt in circuitu continuo conviviorum, lusuum, et dissipationum mundanarum, id est, in otio damnabili salutis, quibus consequenter hæc verba ad viros otiosos evangelii applicari possunt: *quid hinc statis totâ die otiosi?* Illi verò, qui per portam legitimæ vocationis intraverunt, fastidientes super oblectamentis hujus sæculi, solisque bonis spiritualibus inhærentes, exclamant ad Deum cum propheta: *melior est dies una in atriis tuis super millia in tabernaculis peccatorum*; quare toti delinentur ut obligationes sui statûs et vota fideliter Deo reddant et Ecclesiæ.

Tertiò dicitur: ad laudes ipsius in choro cantu enarrandas; his verbis canonici discernuntur à pastoribus, et aliis curam animarum habentibus, quibus potissimùm incumbit pascere populum Dei instructionibus et Sacramentis; iisdem verò verbis aggregantur religiosi ad chorum solemniter professis: solaque hæc interest inter illos disparitas, nempe quòd religiosi choro adstringantur solemnî voto; canonici autem titulo strictæ justitiæ, quod non minùs, imò magis ligat quàm solemne votum.

Limites, quas nobis constituimus in hoc opere, non sinunt ultra hanc digressionem extendere. Interim breviter hic dicta sufficiunt, 1.º ut promovendi ad canonicatum sentiant

hæcque obligatio ex ipso statu canonici profluit, cum ad instar mercenarii, ad cantandum officium conducatur, ac ad id in choro stallum possideat. Hoc onus aliundè tot et tantis auctoritatibus personale declaratur, ut super eo vel levissimum oriri nequeat dubium. Breviter quasdam ex illis referemus.

1.º Hoc onus personale declarat sequentibus verbis Trid. sess. 24. cap. 12 de reform. *Omnes verò qui in cathedralibus et collegiatis dignitates, canonicatus aut præbendas obtinent, divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia... atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare.* Omnia verba in hac declaratione sunt peremptoria. Imprimis dicitur *omnes*: ergò necessitatem vocationis, et dispositiones ad illam requisitas, 2.º Ut patroni intelligant jus collationis, quod adeò gratum habetur, onus esse grave et terribile; siquidem promovendo indignum, reos se faciant coram Deo, omnium malorum, quæ indè in Ecclesia sequuntur. Idem sit iudicium de canonicis qui, ducti carne et sanguine, viâ resignationis vel coadjutoria, nepotes adhuc puerulos, vel alios non sufficienter bonis moribus instructos sui successores constituunt. 3.º Habent confessarii directores canonicorum, quomodo procedere teneantur cum iis qui frequenter et sine causa à choro absunt; tales enim facilius, quàm par est, absolvendo, crudeliter se et illos in infernum deducunt. Nec obest eos non se accusare de hac negligentia. Satis est, eam aliundè notam esse confessario, ut teneatur pœnitentem corripere: nam quandò hic versatur in statu damnationis, munus est confessarii ipsum monere de periculo, quo circumdatur; idque verum est sive speret bonum indè effectum, sive non. Nec dicatur, meliùs esse ut quis peccet ignoranter quàm scienter; adeoque confessarium posse linquere pœnitentem in sua ignorantia. Hoc admittitur quandò ignorantia est invincibilis, et consequenter excusans à peccato; ast quandò est vincibilis et proindè damnabilis, prout est in casu canonici ignorantis suas obligationes, silentium confessarii ampliùs locum invenire nequit.

gnitate fulgentes, sicut cæteri, residere tenentur; ad hoc satis est quòd gaudeant canonicatu, aut præbendâ. Dicitur deindè *per se*, et non *per substitutos*: ergò per vicarios satisfacere nequeunt; adeòque si tales adhibeantur ut cantus in choro formetur et juxta regulas sustineatur, cum iisdem vocem miscere obligantur.

Hæc concilii Tridentini verba *reverenter*, *distinctè*, *devotèque* singularem exigunt attentionem ab iis qui tenentur ad cantum divini officii et maximè ab iis qui illi præsent, ut in collegiatis ecclesiis decani et cantores, et in monasteriis ac conventibus abbates, priores, guardiani, etc.; prædicta enim verba requirunt ut modestè et absque ulla præcipitatione persolvatur, servando pausam debitam in medio cujuslibet versûs, et non resumendo versum sequentem, nisi præcedens sit omninò et integrè absolutus: hanc reverentiam sibi postulat suprema Dei majestas, ideòque Prophetæ regius Ps. 46. ait: *quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter*. Hinc sine horrore attendi nequit ad indecentiam quacum laudes divinæ cantantur in multis locis, ubi psallentes ex modo agendi videntur rem habere non cum Deo vivo et vero, sed cum inani simulacro quod habet aures, et non audit: est profectò cur ii quorum interest obligatio chori, super illa invigilent, ne defectus in opere adeò grandi ipsis imputentur.

2.º Idem onus confirmârunt Pius V (1) et Benedictus XIV (2). Ulteriùs idem Benedictus XIV in

(1) Constitutione 55. Bullar. Rom. tom. 2.

(2) Const. quæ incipit *Cùm semper*, sub data 19 Aug. 1744, et alia ad cardinalem Delphinum, patriarcham Aquil. cujus initium *Dilecte mi*, etc. sub data 19 Januar. 1748.

epistola ad episcopos Italiæ dubium circa hoc futile omninò habet; idque probat his verbis: *cùm opinio illa, inquit, (scilicet quòd canonici per se psallere non teneantur) nunquam in congregatione concilii Trid. interpretatione proposita, examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur.* In hujus confirmationem quædam S. C. conc. Trid. responsa subjiciemus. Respondit ergò præfata Cong. 12 Jan. 1619 *canonicos in choro teneri omninò psallere: alioquin obligationi suæ non satisfacere.* Et 7 Junii 1628, *canonicos in choro altâ voce non psallentes, distributiones quotidianas non lucrari, quavis consuetudine non obstante.*

Profectò tot et tantæ, ac adeò lucidæ auctoritates commovere debent, non modò eos è canonicis qui in molli lecto frequenter jacent sub matutinis precibus, et in conviviis sub vespertinis, quique levi de causa se ab aliis Horis absentant, vel qui ludentes cum religione et fundatoribus, pro omni residentia diurna apparent in choro, et simul, aut saltem post brevem moram disparent (1), sed et eos qui omnibus et singulis officiis devotè sed muti intersunt.

Non ignoramus multos has auctoritates undequaque venerabiles contempturos, et super illis esse forsàn risuros; rapti enim pravo aliorum exemplo, et capti propriâ commoditate nolunt intelligere ut benè agant; sed an eodem modo sentient in extremis; quando face mortis illumi-

(1) Absesse frequenter à parva Hora vel parte officii æquivalente, secundùm communem sententiam, est materia peccati gravis, et quidem contra justitiam.

nati, negligentiarum suarum, et fructuum malè perceptorum pondere obruentur, juxta hoc Spiritus sancti oraculum, Ps. 139. *Virum injustum mala capient in interitu*, ipsis seriò perpendendum dimitto. Interim

Q. 1.º *Utrùm canonici teneantur in choro adesse officio mortuorum, quando in illo cantatur; et in supposito quòd legitima de causa absint, debeant illud privatim recitare?* Ad hoc communis responsio est affirmativa, quia dictum officium, dum ex rubrica particularis alicujus ecclesiæ præscribitur in choro legendum, ita et faciat partem officii, afficit totum corpus; sicut igitur canonici officio diei tenentur adesse, et in casu absentiae privatim illud recitare; ita ut officium mortuorum. Inter multos auctores insignis notæ sic sentiunt S. Thomas (1) et S. Antoninus (2): hujus juvat verba referre: *tenentur ad ipsum* (nempe officium mortuorum) *clerici ecclesiarum collegiatarum, secundum communem consuetudinem ecclesiæ, de qua sunt, sive præsentés sint, sive non.*

Eadem ratione tenentur canonici adesse anniversariis à principio ad finem, ut in conscientia retributionem faciant suam. Nec obest quòd anniversariorum fundatores maximè recentiores, retributiones perceperint assistendo tantum parti missæ vel officii, adeoque censeantur retributionem cedere tali modo jam residentibus. Circa hoc advertendum quòd nonnullæ tales foundationes sint restitutio fructuum propter negligentiam malè perceptorum; in hoc autem casu ni-

(1) Quodlib. 6. q. 5. art. 2.

(2) 3. part. Summæ, tit. 15. cap. 4. §. 3.

mis fortè reali, evidenter liquet non stare juxta eorum voluntatem indulgere distributionem fructuum iis qui in choro apparent, et statim discedunt. In supposito autem quòd quidam proprio ære fundaverint anniversaria, hìc notandum est fundationes illas transiisse in manus Ecclesiæ quæ, cùm sit dispensatrix et non dissipatrix patrimonii Christi, non potest censi dare fructus in choro genuflectenti, vel ei qui uni tantùm aut alteri psalmo tantùm præsens adest.

Q. 2.º Quid dicendum de praxi nonnullorum canonicorum, qui missam celebrant sub matutino, seu alio officio? R. Praxim illam esse omninò damnabilem? Deus quippè vult ab iis præsentiam in choro, et non sacrificium; nam ad cantandas Dei laudes obstricti sunt ex officio et justitia; non autem ad celebrandum, saltem infra illud tempus; proindèque tenentur, vel missam omittere, vel illam legere persoluto integrè officio: sic congregationem cardinalium pluries declarasse testatur *Garcias* (1), et *S. Carolus* (2) ne id fieret, prohibuit. Ulteriùs, ut suprà sentiunt *Barbosa*, *Azor*, *Rixius*, *Fagnanus*, *Vanespen*, *Cabassut* et plures alii.

Pariter titulo patrimonii ad sacros ordines admissi diebus dominicis præsertim et festivis, tenentur officium divinum cantare in ecclesia, cui sunt adscripti, ad hoc enim conducti sunt, et huic oneri se voluntariè subjecerunt (3).

(1) 3. part. cap. 2. n. 508.

(2) Conc. Mediolan. 4. tit. de distrib. n. 3.

(3) Secundùm constitutiones episcopales conformiter ad concil. Trid. ultrà debent se exhibere utiles Ecclesiæ, adeòque requisiti à pastore loci, inseruire Sacro solemnì, catechisare

Quoad hos et alios, qui certis diebus nullo titulo ad chorum vocantur, possunt omni loco decenti honesto et silentioso (1) divinum officium legere juxta illud (2): *in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino*. Consulendum tamen est ut, quantum fieri licet, officium recitetur in ecclesia de qua scriptum est: *domus mea, domus orationis est, in ea omnis qui petit accipit, qui quærit invenit, et pulsanti aperietur* (3).

II. Tempus officii incipit à media nocte, et terminatur in medio noctis sequentis, sic ut legens totum officium infra illud tempus, fiat immunis à peccato saltem gravi, non tamen semper à veniali: ratio hujus est quòd legens officium intrà tempus suprà limitatum, ponat totam illius substantiam tempore debito; adeoque non

pucros; imò si talentum à Deo receperint, prædicare verbum Dei, confessiones audire, et infirmos visitare, etc., sunt enim vi contractûs initi inter ipsos et Ecclesiam in receptione sacrorum ordinum subjecti imperio pastoris, sub quo vivunt, circa omnia, quæ spectant ad bonum spirituale totius parochiæ. Utinam multi super hac obligatione reflecterent, et illuminarentur qui plantati in vinea Domini dies suos ducunt omninò otiosi.

(1) Locus absconditus, ubi regnat silentium, ad recitationem privatam officii duplici ratione suadetur: 1.º quia removet causam omnis vanæ gloriæ, de quâ Christus in evangelio, Matth. 6. v. 6. *Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*. 2.º Quia removet causam variarum distractionum, quæ à strepitibus mundanis excitari possunt: undè certò culpari debent qui, in loco profano risibus et confabulationibus agitati, non dubitant officium suum legere. Omnes quippè distractiones, quas indè patiuntur, sunt ipsis in causa voluntariæ et culpabiles, ut antè diximus.

(2) Psalm. 102.

(3) Matth. 21.

peccat contra legem divini officii. Si tamen nimis anticipet vel postponat sine causa, officii recitationem, reus fit culpæ venialis ob ordinis inversionem; verba enim hymni *Jam lucis orto sidere* non benè sonant post meridiem, uti nec hæc hymni vesperarum manè *Jam sol recedit igneus*, etc.

Ut autem sciatur tempus et hora cujuslibet partis officii, sciendum est quomodò dies et noctes olim dividerentur: nox quippè in quatuor vigiliis secabatur, de quibus *Lucæ* 12. pariter et dies, scilicet in Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, de quibus *Matth.* 20. Prima pars noctis, seu prima vigilia incipiebat ad solis occasum, et quarta desinebat ad illius ortum, in quo prima pars diei incipiebat. Quælibet pars sive noctis, sive diei tres horas complectebatur, quæ modò longiores, modò breviores erant; tempore enim æstivo horæ diurnæ longiores erant nocturnis, et hiemali, nocturnæ longiores diurnis; in æquinoxio autem, horæ diurnæ et nocturnæ erant omninò æquales, seu quælibet pars noctis et diei tres exactè horas complectebatur. His positis,

In prima noctis vigilia primum matutini nocturnum persolvebatur, saltem in festis solemnibus; in secunda, secundum; in tertia, tertium, et in quarta, seu ante solis ortum, laudes cantabantur.

Hæc super re quædam intervenit mutatio, quatenus jam matutinum componitur ex tribus nocturnis et laudibus per modum unius Horæ: porrò tempus nunc proprium hujus officii censetur hora noctis duodecima; idque ad exemplum *Davidis* dicentis (1): *mediâ nocte surgebam*

(1) Psalmo 118.

ad confitendum tibi : undè propiùs quàm fieri potest, ad illud tempus matutinum recitare convenit.

Quamvis tamen nocturna et laudes sint unita per modum unius Horæ, nihilominùs absque scrupulo, laudes ex usu separari possunt à matutino. Imo ex causa nocturnum à nocturno dividi potest spatio duarum vel etiam trium horarum, quia olim sic fuerunt divisa, et aliundè nulla est connexio inter unum et aliud. An autem, dum nocturna sic separantur, subjungi debeat collecta diei et oratio dominica, ac præmitti *Pater* et *Ave* nocturno sequenti? Nulla lex vel usus receptus ad id obligat, laudabiliter tamen id practicari potest.

Quoad reliquas officii Horas, in prima parte diei, seu quæ fluit ab ortu solis usque ad nonam nostram sub æquinoxio, olim persolvebatur pars officii, quæ indè *Prima* dicta est; in secunda parte diei *Tertia*; in tertia *Sexta*, et in quarta *Nona*. Tandem circa solis occasum fiebant preces vespertinæ.

Hoc autem tempus cujuslibet Horæ designatur in hymnis qui in illis recitantur: undè in hymno officii nocturni, seu ut jam vocatur, matutini, exprimitur tempus noctis pro illius lectione his verbis: *Nocte surgentes vigilemus omnes*. Ad laudes designatur aurora: *Ecce jam noctis tenuatur umbra, lux et aurora rutilat*. Ad Primam ponitur pro tempore ortus solis: *Jam lucis orto sidere*: præterea preces quæ psalmos subsequuntur, tempus matutinum supponunt; siquidem illis petamus à Deo auxilium illius super nos, et operum nostrorum sanctificationem: hinc olim antiqui

monachi has preces manè ad Deum fundebant in capitulo simul, antequam ad laborem dispergerentur; concludebatque illas superior hâc benedictione quâ hodie dùm utimur: *benedicite. R. Deus, Dominus nos benedicat*, etc. In hymno Tertiæ fit mentio Spiritûs sancti, qui in apostolos descendit horâ tertiâ secundùm modum computandi Judæorum, seu horâ nostrâ nonâ matutinâ; adeoque tempus hujus officii respondet horæ nonæ. Ad Sextam legitur *splendore mane illuminas, et ignibus meridiem*, quibus ultimis verbis innuitur meridiem esse proprium tempus hujus Horæ. Ad Nonam ponitur in hymno: *largire lumen vespere*; quo significatur jam solem vergere ad occasum, quod in æquinoxio contingit horâ tertiâ post meridiem; proindèque tunc incipit tempus hujus officii. In vesperis sabbati legimus *jam sol recedit igneus*; adeoque post solis occasum statim exurgit horâ vesperarum, et tandem nocte claudente tempus completorii, in quo dicimus: *Te lucis ante terminum* (1).

Hodie dùm, quantum licet, consulendum est iis qui tenentur lege officii, ut statutis suprâ

(1) Oratio completorii olim à monachis habebatur in dormitorio immediatè ante cubitum, et tunc perfectum sensum præ se ferebant hæc verba; *visita, quæsumus, Domine, habitationem istam*, nempè ipsum dormitorium. Ast dum in choro vel alibi extra cubile proferuntur, non ita rectè sonant: undè in quibusdam breviariis, et notanter in Rothomagensi anni 1736 est mutatum: *visita... habitationem nostram*; sicque in omni loco legitimum habet sensum. Optanda igitur foret similis emendatio in ritu Romano, sed interim, donec Ecclesia eam introducat, his verbis *habitationem istam* intelligi debet cubile nostrum. Post hanc orationem superior fratribus benedicebat his verbis, quæ retinuimus: *Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus*, etc., et tum somno se committebant.

horis divisim officium persolvant. Sic illud recitando, juxta *Bellarminum*, sentient jugum officii leve et jucundum, ac longè majori cum devotione ac alacritate illud persolvent. Interim, cùm præ variis occupationibus non sit datum omnibus sic posse tempus et horas servare, talibus satis erit, si saltem ante septimam matutinam absolvant matutinum cum laudibus, ante meridiem Primam, Tertiam et Sextam, quibus etiam ex usu Nona adjungi potest, et post meridiem vespertas et completorium.

III. Ordo officii duplex est, annuus scilicet et diurnus. Annuus est series officiorum de tempore, de mysteriis et Sanctis omnibus anni diebus successivè respondentium. Hic ordo sub gravi est tenendus ab iis qui lege officii adstringuntur, quia Ecclesia singulis diebus hoc et non aliud præcipit officium, adeoque hoc et non aliud est legendum. Hinc recitans officium longè brevius præscripto non satisfacit suæ obligationi, prout constat ex damnatione sequentis propositionis: *In die palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto* (1). Difficile etiam excusari potest à mortali, qui voluntariè recitat officium non præscriptum, licèt æquè longum ac illud cui substituitur, eò quòd talis non ponat substantiam officii præcepti, saltem si sit notabilis differentia inter unum et aliud.

Nihilominus dubium movetur de eo qui inadvertenter unum pro alio officium recitat: an, si ante vesperam errorem agnoscat, teneatur officium diei repetere? Circa hoc sequentia vi-

(1) Est 54. *Alexandri VII.*

dentur statuenda : 1.º Si officium substitutum sit notabiliter brevius, v. g. si de Sancto quis legerit loco officii dominicalis, certum est teneri aliquid supplere ad officii dominicalis æquivalentiam, legendo aliquas psalmos et lectiones dicti officii. 2.º Parvas Horas, scilicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam et completorium repetere non tenetur, quia cum in his sint iidem hymni et psalmi, posita est earum substantia : ad summum ergò supplenda sunt antiphonæ, capitula, responsoria brevia, et oratio diei, ac etiam alia propria, si quæ fuerint, uti psalmos feriæ ad Primam, et preces, etc. 3.º Qui legit officium de uno Sancto, loco alterius, v. g. de martyre pro confessore, satis videtur si suppleat hymnos, lectiones, ac antiphonas : quoad psalmos matutini, ita remotè attingunt unum Sanctum præ alio, ut parvi referat quinam fuerint recitati. 4.º Dum legitur officium valdè diversum ab eo quod est præscriptum, v. g. de Sancto pro alio de tempore, videtur, saltem matutinum cum laudibus supplendum, quia talia officia omninò sunt dissimilia quoad formam et substantiam. Indulgentum tamen ex epikeia homini lassato confessionibus excipiendis, visitandis infirmis, aut aliis operibus charitatis.

Hoc dubium aliud generat, nempe quid agendum illi qui officium neglexit die, quo præscribatur; an tenetur alio die non impedito illud legere? Absolutè tenendum est officium in suo die prætermissum, illo anno esse prætermittendum, quia talis illud recitando extra diem ill assignatum, ordinem breviarii inverteret; adeoque errorem per novum corrigeret. Eadem ra

tione, qui hodie legit officium, quod aliquo die subsequente foret legendum juxta formam calendarii, tenetur iterum illud legere cum aliis.

Ordo diurnus officii exigit ut partes officii singulis diebus ponantur juxta dispositionem breviarii; hoc est, quod primò legatur matutinum cum laudibus, deindè Prima, et sic aliæ in suo ordine Horæ. Inversio tamen hujus ordinis tantum involvit culpam venialem, quia ex una parte ponitur tota officii substantia, et ex altera respectus unius Horæ ad aliam levis est. Hinc ex justa, licèt levi causa, ordo præfatus inverti potest; sicque carens breviario ad legendum matutinum, potest in diurnali legere alias Horas, et deindè matutinum. Pariter accedens ad chorum, non lectâ Primâ, potest Tertiam cum aliis cantare.

Quæres 1.º Quâ horâ pridie legi possit matutinum cum laudibus?

R. Ex tabula Romæ formata constat tantum legi posse, quando sol tres sui cursûs diurni partes absolvit; adeoque sub æquinoxio horâ tertiâ pomeridianâ, et sic eâdem proportione servatâ aliis anni temporibus. Quamvis tamen absolute tunc matutinum inchoari possit, convenientiùs legitur post cœnam horâ octavâ vel nonâ vespertinâ; eò quòd tempus proprium hujus officii sit media nox, ad quam lectio hujus officii serò facta magis accedit.

Quæres 2.º An officium recitari possit cum socio, et quid tunc servandum?

R. Laudabiliter sic officium recitari; lectio enim officii cum alio habet bonum societatis, de quo scriptum est: *ubi sunt duo vel tres congregati in*

nomine meo ibi sum in medio eorum. Hæc autem servanda sunt dum sic officium legitur: 1.º unusquisque secretò recitare debet orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum, sive ante, sive infra, sive post Horas; excipitur tantum oratio dominica infra preces laudum et vesperarum, quæ ab uno dicitur altâ voce, alio attendente. Confessio infra Primam et completorium, ab utroque est recitanda. 2.º Tenentur alternatim legere hymnos, psalmos, cantica, preces, dum ponuntur, et, antiphonas B. M. V. in fine officii, reliquum autem legi potest ab uno, alio attendente. Hic observandum est quòd debeant se mutuò audire, ac cavere, ne versus ab uno inchoetur, nisi alter suum integrè absolverit. Suprà dicta applicari possunt iis qui in choro divinum officium persolvunt.

Quæres 5.º An non valens sine socio legere officium, teneatur socium adhibere?

R. Imprimis si quis facilè socium invenire possit, aut si ad hoc aliquis se offerat, communis est opinio talem teneri socio uti ad legendum officium; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media saltem facilia quæ ad illum conducunt; adeòque, etc.; undè facultas Parisiensis (1) sequentem damnavit ex *Guiménio* propositionem: *cum qui non potest solus recitare, non teneri admittere socium; quia recitare cum socio est favor unicuique concessus, et nemo tenetur uti favoribus invitus.*

Ex his quidam inferunt clericum non valentem solum legere officium teneri prætio condu-

(1) Tertiâ Februarii, anno 1665.

cere socium; hoc sat probabiliter admitti posset de pingui beneficiato; nam ad legendum officium est stipendiatus; adeoque debet media quærere ad satisfaciendum suæ obligationi, saltem dum non sunt nimis ardua. Aliud est de simplici clerico, vel de eo qui tenues fructus percipit è suo beneficio; primus enim ad hoc non censetur se obligasse; alter verò talem expensam facere nequit absque sui incommodo.

ARTICULUS IV.

De qualitate breviarii quo quis uti potest et debet.

I. JUXTA auctores antiquitatis rimatores (1), officium primitùs componebatur ex oratione dominica, symbolo et psalmis, quorum cantui finem imponebat superior; sic ut esset modò longius, modò brevius juxta varias temporis circumstantias. Hæc forma officii, quæ à ritu Judaïco originem ducebat, juxta eosdem auctores, duravit usque ad annum 420, à quo tempore, instante Papa *S. Damaso*, *S. Hieronymus* divisit psalterium, constituitque ex illo officium pro dominicis et feriis; lectiones autem et collectæ juxta *Durandum* successivè fuerunt officio interjectæ à *S. Leone*, *S. Gelasio*, et *S. Gregorio*. Verùm reformatio breviarii, quæ nos magis tangit, facta est sub *S. Pio V*, qui in exemplar suæ reformationis assumpsit breviarium, quo Franciscani utebantur in missionibus, quodque contractum erat, ut eis liceret vacare liberius conversioni infidelium; indèque officium divinum dicitur *breviarium*, scilicet ab illius abbreviatione.

(1) Ita *Walfridus Strabo*, *Durandus*, *Grancolas* et alii.

Hoc officium, cujus hodie dùm formam retinemus, septimo idus Julii 1568 non solùm approbavit *S. Pius V*, sed et illius usum præcepit. Idem officium anno 1602 revisit *Clemens VIII*, ac purgavit à variis additionibus in illud introductis. Tandem anno 1651 *Urbanus VIII* in illud quasdam induxit immutationes, ac hymnos correxit (1), prout cernitur ex collatione antiquorum cum novis breviariis.

II. Bulla *S. Pii V* sequentia sonat : 1.º rationem ponit reformationis breviarii Romani, scilicet ad tollendam orandi varietatem; optandum ergò foret ut ad mentem Pontificis omnes breviarium Romanum recepissent : sicuti in Ecclesia est una fides et unum baptisma, ita et foret unum labium, quo Deus ubique laudaretur. 2.º Tollit et abolet breviarium à *Francisco Quignones* natione Hispano, fratrum minorum generali, ac cardinali *S. crucis*, ob nimiam ipsius brevitatem. 3.º Proscripsit omnia breviaria quæ à sui institutione ducentos annos non superabant. Quoad illa quæ à ducentis annis vigeant, eorum usum indulsit, linquendo tamen superiorum arbitrio illa dese-

(1) Quæri hic potest utrùm in libris liturgicis liceat denuò imprimere hymnos antiquos? ad quod videtur respondendum negativè; nam si, juxta *Cavalieri*, non possit ampliùs imprimi officium, dum illi novum est substitutum, quia Ecclesia id fecit ratione aliquà quæ eluderetur antiqui reimpressione, idem omninò militat contra reimpressionem hymnorum antiquorum. Hæc dicta sint in instructionem typographorum, seu eorum qui præsent impressioni librorum Ecclesiæ; non autem illorum clericorum qui utuntur breviariis, in quibus hymni antiqui reperiuntur; possunt enim illos legere, quia Ecclesia novos condens, ne perturbaret rempublicam ecclesiasticam, neque damnum multis crearet, antiquorum lectionem indulsit, donec antiqua breviaria deficerent : aliundè diversitas inter novos et antiquos hymnos est quid admodum leve.

rendi ad assumendum Romanum, quo semel assumpto, non ampliùs licet ad proprium redire, prout communiter tenent auctores. 4.º Sub his exceptionibus præcipit hoc breviarium in toto orbe observari, ac statuit nihil in eo esse mutandum, addendum, aut detrahendum. 5.º Tollit obligationem, quæ sub mortali aderat, extra chororum recitandi officium parvum B. M. V. et defunctorum, ac psalmos pœnitentiales et graduales: hortatur tamen, ut ex devotione recitentur, propositis 100 dierum indulgentiis, omnibus recitantibus officium parvum B. V. M. et defunctorum, 50 autem recitantibus psalmos pœnitentiales et graduales, quando rubricæ eos præscribunt. Non abrogat tamen usum, ubi viget, recitandi in choro officium parvum B. M. V.

III. Ex hac bulla *Pii V* malè inferretur quemlibet posse privatim recitare officium è breviario Romano; Pontifex enim citatus permittendo, ut in certis locis antiqua breviaria retineantur, minimè censendus est voluisse confusionem parere in membris ejusdem Ecclesiæ, vel religionis; adeoque quamvis præcipiat, ut breviarium Romanum currat per totum orbem, non comprehendit eos qui adscripti sunt loco ubi viget breviarium particulare; idque evincitur ex facultate pontificia quâ sæculares et religiosi servitio cardinalium addicti recitare possunt officia juxta eorundem breviarium; in hac enim facultate, ut refert *Bellarminus* (1), habetur verbum *indulgemus*, quod evidenter eos supponit obligatos ad breviarium diœcesis vel religionis. Sic-

(1) Lib. 1. de bonis operibus in particulari, t. 4. cap. 18.

que docet *S. Thomas*: *Quemadmodum*, ait (1), *clericus, quia ecclesiae mancipatus atque addictus est, ad officium ecclesiasticum obligatur, sic etiam, quia tali ecclesiae ratione beneficii addictus est, talis ecclesiae officium recitare debet. Hinc*

1.° Religiosi rigorosè tenentur, sive in choro, sive privatim recitare officium ordinis in quo sunt professi.

2.° Canonici et beneficiati residentes in ecclesia ubi fit officium particulare, quovis prætextu Romanum sequi non possunt, sed strictè tenentur, sive pro publico officii cantu, sive pro privata ejusdem lectione, uti breviario ecclesiae cui sunt adscripti; præsertim cum diversitas quotidiana officiorum nata sit eos à cantu in choro retrahere.

3.° Clerici sæculares alicujus diocesis in qua habetur breviarium proprium, hoc et non aliud assumere debent.

Aliquid speciale est circa hoc in diocesi Leodiensi; quamvis enim habeat usum proprium, tamen sive defectu librorum, sive alia de causa, clericis sæcularibus ritum Leodiensem vel Romanum sequi licet; sic ut unusquisque præcisè ad unum vel alterum determinari debeat, quatenus est adscriptus ecclesiae, ubi unus vel alter viget.

4.° Regulares ad pastorem promoti, hoc ipso deserere debent breviarium ordinis, si sit particulare et assumere illud quod in diocesi servatur. Res est decisa in *S. R. C.* (2) pro re-

(1) *Quodlibet*. 6. art. 8.

(2) *Episcopus regularis debet recitare officium juxta ritum suae diocesis, non verò sui ordinis. S. R. C.* 11 Jun. 1605, apud *Merati*, tom. 2. decretorum, n. 18.

gulari, qui ad episcopatum promovetur, et à fortiori pro iis, qui pastorum obtinent. Dico à fortiori, quia episcopus satisfacit privatâ officii lectione, nec tenetur in choro psallere; adeoque utens breviario aliquo particulari non perturbat ordinem. At pastores missas et officia quotidie ac publicè cantare tenentur; adde clericos ecclesiæ ipsorum adscriptos ob officiorum discordiam à frequentatione ecclesiæ removeri: proindèque ex retentione breviarii proprii à pastoribus regularibus, ultra malum inobedienciæ constitutionibus ecclesiasticis, resultant subversio ordinis, et alia gravia inconvenientia, quibus permoti locorum ordinarii possunt et debent talem abusum tollere. Dedecet aliundè in ecclesias episcopo subjectas introduci ritus et officia variarum religionum.

His expositis, supersunt quædam quæstiones practicæ, quarum resolutione concludemus præsens opus; igitur

Quæres 1.º Utrùm commorans in aliqua diœcesi per notabile tempus, v. g. per unum vel alterum annum, teneatur illius diœcesis breviarium legere?

R. Si ibi constitutus privatim officium recitet, suum retinere debet breviarium, quia cum intendat ad suam diœcesim remeare, nec sit ex illa excommunicatus, manet illius membrum; adeoque corpori se debet conformare; ac ita declarasse S. R. C. refert *Merati* (1). Aliud est, si habitaret in

(1) Qui sunt de gremio alicujus ecclesiæ, debent recitare officium quod in choro dicitur, licèt morentur alibi. S. R. C. 50. Aug. 1602.

seminario, vel alicui ecclesiæ inserviret, non est dubium quin in tali casu possit et debeat breviarium mutare, ut se loco conformet.

Quæres 2.º An transiens per locum ubi cantatur officium particulare, v. g. dedicationis vel patroni, possit hoc officium cum aliis cantare, et obligationi suæ satisfacere?

R. Imprimis certum est, quòd privatim legere non possit officium loci per quem transit, vel in quo moratur per aliquot dies, licèt solemniter ibi celebretur, quia nihil ipsi cum tali ecclesia: satis est, si se conformet celebrando juxta regulas in Praxi nostra celebrandi missam relatas, tom. I. part. 4, art. VII. n. III. Si verò officium publicè cantet cum aliis, quidam tenent talem omninò satisfacere cantando cum aliis, quidam negant; alii verò distinguunt, hisque adhæremus. Igitur si quis necessitate, aut saltem ad majorem officii decorem, officium vel partem officii decantet in aliena ecclesia, satisfacit, sic ut nihil teneatur repetere, undè qui v. g. cantavit vespèras de patrono loci, non tenetur denuò legere eas quæ currunt in suo directorio: ratio hujus est quòd Ecclesia non censeatur velle gravare eum, qui officia pietatis sibi præstat. E contra si quis ingrediens ecclesiam ubi officium particulare cantatur, et ubi absque ipsius adjutorio æquè decenter officium persolvi potest, cum stare possit in ordine sui officii, ad id teneri videtur.

APPENDIX SECUNDA.

ANNOTATIONES

IN LOCA OBSCURIORA HYMNORUM.

OBSCURITATES quæ in hymnis Ecclesiæ cernuntur, duplici ex causa fluunt; primò à constructione barbara verborum, quam carminum modus exigit. Secundò ab expressionibus poëticis et hyperbolicis, quæ ad eorum elegantiam et nobilitatem non rarò usurpantur. Interdùm etiam inintelligentia eorundem nascitur ex verbis inusitatis et consequenter ignotis, quibus auctores usi sunt, sed huic mæderi potest simplex dictionarium: verùm aliæ causæ ad juvamen lectoris interpretem requirunt: cùm autem pauci admodùm in hymnos sacros scripserint, multis medium deest, quo lumen in eorum obscuritate inveniant; quare lectori non injucundum fore duxi, si hic appenderetur brevîs explanatio locorum quæ in hymnis intellectu duriora conspiciuntur: sed præviè juvat verbum dare lectori de natura et ætate hymnorum in officio Romano.

Hymnus in Scriptura sacra idem sonat, ac laus Dei in cœtu fidelium. Hoc sensu oratio Christi post cœnam hymnus dicitur Matt. cap. 26. Et *hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Ve-*

rùm hic sumitur pro solis canticis ad laudandum Deum in cantu metro compositis, et aliquando pro iis in quibus servatur solus reditus sonorum similitium (gallicè *rime*): tales sunt omnes hymni officii de venerabili Sacramento.

Primis Ecclesiæ sæculis officium divinum hymnos ultimo sensu acceptos non admittebat, sed ex solis psalmis et lectionibus sacræ Scripturæ constabat, cujus antiquæ praxis vestigia nobis supersunt in officiis mortuorum, tridui ante Pascha, et octavæ Paschatis, necnon in matutino diei Epiphaniæ. Sæculo autem quarto labente, constat *S. Ambrosium* plures hymnos composuisse, quibus hodiè utimur in officio ecclesiastico; porrò circa eorum usum diversa statuerunt concilia: Bracarense enim anni 565 prohibuit hymnos, et decrevit, *ut extra psalmos, vel canonicarum Scripturarum veteris et novi Testamenti nihil poëtice compositum in ecclesia psallatur, sicut et sancti præcipiunt canones* (1). Sed sæculo subsequente Toletanum in officio divino hymnorum laudavit usum, modò essent ex auctoribus pietate inelytis: *sicut ergò, inquit, orationes, ita et hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrum ulterius improbet*. Sicque usus hymnorum in Ecclesiam Mediolanensem introductus, cum transiisset in Hispanias, et prohibitus fuisset in concilio Bracarense citato anni 565, revixit sæculo sequente auctoritate conc. Toletani. Ast solum in breviario Romano hymni locum invenerunt circa sæculum duodecimum: auctores quippe ævo hoc antiquiores, et qui de ritibus Romanis

(1) Conc. Bracar. can. 52.

scripserunt, nullum verbum de hymnis fecerunt; uti patet ex *Amalario*, et *Benedicto* ordinis Romani auctore. Verùm *Guillelmus Durandus*, qui florebat sæculo 13, apertam facit mentionem hymnorum, et *Radulphus Tungrensis* sæculo XIV refert omnes ferè hymnos, quibus utimur; adeòque rectè ingressus hymnorum in ritum Romanum figi potest, ut suprà. Interim cùm antiqui hymni deficerent in metro, latinitate et elegantià, *Urbanus VIII* curam dedit pluribus viris in arte poëtica versatis illos emendandi, inter quos tres patres è Societate Jesu numerantur (1). Hoc autem opus approbavit dictus Pontifex anno 1629, et S. R. C. 17 Martii ejusdem anni. Non ergò *Urbanus* eorum fuit reformator, quamvis in arte poëtica versatus; solùm composuit hymnos *S. Martinæ*, et *S. Elisabeth* reginæ.

Frustrà hìc nonnulli vocem extollunt contra hanc reformationem, quasi per illam hymni amississent suam simplicitatem, et omnem pietatis saporem; *accessit*, inquit, *latinitas et recessit pietas*. Sed absque læsione sensùs et simplicitatis, præcisè in illos quamdam amœnitatem, et sonum dulciorem adduxerunt, ita ut reformati videantur undequaque antiquis præferendi.

ARTICULUS PRIMUS.

De hymnis psalterii.

I. HYMNUS diei dominicæ ad matutinum, qui incipit, *Primo die, quo Trinitas tribuitur S. Gre-*

(1) *Pater Famianus Strada, Tarquinus Gallutius, et Hieronymus Petrucci.*

gorio Papæ et doctori Ecclesiæ. In illo S. doctor nos excitat, ut de præteritis negligentis culpisque veniam à Deo postulemus, sicque purgati casto corpore et purâ mente laudis canticum solvamus, ac ad æternam beatitudinem pervenire valeamus; porrò argumentum hujus exhortationis desumit à die dominico, multis prodigiis venerabili: in illo quippè Deus mundum creavit, non quidem completè, sed saltem inchoativè, in illoque Christus surrexit à mortuis. In his hæret hymni præsentis auctor; sed addi potest quòd credatur eodem die Hebræos sicco vestigio inter maris rubri undas transiisse; manna in cibum eorumdem primâ vice pluisse; Christum natum esse; stellam Magis apparuisse; Christum in Jordane baptizatum fuisse; quinque panibus et duobus piscibus quinque milia hominum saturatos fuisse; Christum januis clausis ad discipulos intrasse; Spiritum sanctum in discipulos descendisse, ac tandem putatur in die dominico Christum esse venturum judicare vivos, eos qui vivent in terra, immediatè ante diem rationis, et mortuos, seu eos qui antè mortui fuerint (1). Nunc ad rem veniendo, in hoc hymno carmina sequentia exigere videntur aliquam explicationem.

*Ne sæda sit, vel lubrica,
Compago nostri corporis;
Ob cujus ignes ignibus
Avernus urat acrius.*

(1) Aliqui per mortuos intelligunt omnes qui mortui sunt ad tempus quo hic articulus symboli recitatur, et per vivos, eos qui jam vivunt in terris; sed prior sensus, utpotè generaliter omnes comprehendens, videtur præferendus.

Sensus est, ne *compago nostri corporis*, id est, compositum ex corpore et anima, seu homo, *fæda sit* peccatorum sordibus, *vel lubrica*, id est, disposita ad libidinem, seu luxuriam, *ob cujus*, nimirum luxuriæ *ignes, avernus* seu infernus nos reos hujus vitii *urat acrius*; scimus enim justitiam Dei specialiter sævire in animas libidinosas; prout patet variis Scripturæ exemplis, inter quæ maximè nota sunt exempla diluvii universalis, ac Sodomæ eversæ cum vicinis civitatibus.

II. Hymnus dominicæ ad laudes incipiens *Æterne rerum Conditor* sancto *Ambrosio* datur; in eo habetur:

Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans,
Præco diei jam sonat;
Jubarque solis evocat.

Præco diei, seu gallus avis domestica, qui cantus sui præconio diem instantem nunciat, *jam sonat*, seu cantat; *jubarque solis*, id est lucem solis *evocat*. *Nocturna lux viantibus* est iste gallus, quatenus juxta *Gregorium Valentiani* suo cantu iter agentibus horas nocturnas innuit; bis enim gallus regulariter infra noctem cantat, nempe circa duodecimam, vel saltem summo manè, et circa auroram; adeoque viatores diversa noctis tempora utcumque ex galli cantu scire possunt. Additur à *nocte noctem segregans*, quatenus idem galli cantus bis repetitus dividit noctem in partes. Sed verosimilius gallus dicitur *nocturna lux viantibus*, quia ad ultimum illius cantum aurora illucescere incipit, quæ cum mixtas cum luce oriente tenebras habeat, benè dicitur *lux* adhuc *nocturna*

et noctem à nocte segregans , quia advenientibus primordiis lucis novæ expelluntur tenebræ noctis , non totaliter , sed saltem partialiter , et ita ut viatores jam incipiant videre ubi pedes figant : quòd autem hic sermo sit de ultimo galli cantu , qui in aurora emittitur , patet ex laudibus , quarum tempus auroræ respondet , et in quibus canimus : *Præco diei jam sonat.*

*Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine ;
Hoc omnis erronum cohors
Viam nocendi deserit.*

Hoc galli cantu quasi à somno , cui sub horizonte vacabat , *excitatus lucifer* seu sol solvit *polum caligine* , id est , purgat terram à tenebris. Per *erronum cohortem* intelliguntur fures , sicarii , latrones , qui ad malè agendum odio habent lucem , quique ad primum illius spiculum , ne agnoscantur , *viam nocendi deserunt.*

*Hoc nauta vires colligit
Pontique mitescunt freta :
Hoc , ipsa Petra Ecclesiæ ,
Canente , culpam diluit.*

Hoc eodem galli cantu *nauta* in tenebris tempestate agitatus , accedente lumine solis *vires* resumit , non modò quia lumine illo utitur ad pugandum contra maris procellas , sed et quia ad accessum solis solent *ponti* seu maris mitescere fluctus in *fretis* , seu locis Oceani coarctatis. Hoc

tandem animali canente, *ipsa Petra Ecclesiæ*, seu *S. Petrus culpam diluit* lacrymis pœnitentiæ.

III. Hymnus sabbati ad laudes tribuitur *S. Ambrosio* doctori, qui et auctor habetur aliorum, qui leguntur in matutinis et laudibus ferialibus per hebdomadam, præter sequentes, quorum auctor est *Prudentius* natus Cæsaraugustæ in Hispania anno 548, scilicet hymnos feriæ tertiæ, quartæ, et quintæ ad laudes, porrò præsens hymnus sabbati incipit

Aurora jam spargit polum;

Terris dies illabitur;

Lucis resultat spiculum:

Discedat omne lubricum.

Aurora jam spargit, id est replet, quo sensu *Virgilius* dixit: *Prima novo spargebat lumine terras. Polum*, id est, cœlum, quo sensu citatus auctor pariter scribit: *Intonuère poli, et crebris micat ignibus æther. Lubricum*, id est, peccatum.

Ut manè quod nos ultimum,

Hic deprecamur cernui;

Cum luce nobis effluat,

Hoc dum canore concrepat.

Imprimis hujus strophæ constructio videtur sic redenda: *dum hoc canore concrepat, hic cernui deprecamur, ut manè quod erit ultimum, cum luce nobis effluat.* Hoc posito sensus est; *dum hoc*, seu præsentem hymnum os nostrum *canore*, seu suavi cantu personat manè sabbati, seu ultimi diei hebdomadæ, quo figuratur dies *ultimus*, nempè

æternitatis : hic in terris nos cernui , seu prostrati deprecamur , ut *manè* , quod erit *ultimum* , seu *manè* æternitatis , id est , iudicium particulare , cui non amplius aliud *manè* succedet , *cum luce* , seu in luce , nobis *effluat* , id est , illo *manè* lux æterna nobis luceat .

IV. Hymni parvarum Horarum , scilicet Primæ , Tertię , Sextę et Nonę à *S. Ambrosio* compositi traduntur , et ita adaptè , ut in hymno cuiusvis Horę , tempus lectionis illius exprimatur , ut antè dictum est art. III. n. II. Cùm sensus horum hymnorum per se pateat , pauca hic subjiciemus . In hymno ad Tertiam legitur :

*Os , lingua , mens , sensus , vigor ,
Confessionem personent ,
Flammescat igne charitas ,
Accendat ardor proximos .*

Primò exprimuntur duo instrumenta , nempè *os* et *lingua* , quibus sonus divinę laudis formatur , Deindè *mens* , seu ratio et intellectus , sine cuius applicatione oratio haberi nequit . Dicitur 3.^o *sensus* , interior et exterior , per quem denotatur devotio tum interna , tum externa . 4.^o *Vigor* , seu tota animi fortitudo : hoc verbo declaratur Deum esse laudandum , non remissè , sed plenâ voce , plenâ attentione , et plenâ devotione *confessionem* , nempè divini nominis , seu laudes divinas *personent* . Additur deindè alia dispositio , nempè charitatis , sine qua oratio non aperit portas cœli , seu non est meritoria vitę æternę , adeoque benè dicitur *charitas igne flammescat* ; et ita ut *ardor* illius externè prodiens , seu ma-

nifestatus *accendat proximos*, seu illos potenter excitet ad benedicendum Deo. Hæc carmina divi *Ambrosii* videntur mera explanatio hujus sententiæ *Davidis* Ps. 102, *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intrâ me sunt, nomini sancto ejus*. Hicque advertere licet præcones verbi Dei ex his assumere posse exemplar dispositionum, quibuscum annuntient veritates æternas, ut è cathedra doctrinæ christianæ fructum reportent.

Ad Nonam dicitur hymnus sequens :

*Rerum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens
Lucis diurnæ tempora,
Successibus determinans.*

Deus, qui es *vigor tenax*, id est, robur stabile et omninò immutabile *rerum* tum animatarum, tum inanimatarum : omnes quippè creaturæ à Deo, seu ab omnipotente ejus virtute habent esse, vivere, se movere et agere, et licèt in his mutatio continua appareat, *Deus* tamen nulli mutationi est obnoxius; ideòque addit *S. Ambrosius* : *immotus in te permanens*. His consonat *Boëtius*, l. 5. de Cons. Metro 9. *O qui perpetuâ mundum ratione gubernas : stabilisque manens das cuncta movere. Determinans successibus, id est, successivis processibus solis tempora seu horas lucis diurnæ seu diei.*

V. Hymnus dominicæ ad vespervas calami est *S. Gregorii* doctoris, sicque incipit :

*Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,*

*Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem.*

Creator optime lucis, qui Genesis cap. 1.º dixisti, fiat lux, et facta est lux. Cùm autem non simpliciter Deus lucem creaverit, sed et illà diem constituerit, prout ibidem refertur his verbis: et divisit lucem à tenebris, appellavitque lucem diem; ideo additur proferens lucem dierum, id est, lucem, quæ dies formantur, et à nocte dividuntur. Parans originem mundi primordiis lucis novæ. Hoc est, Deum opus sex dierum, seu creationem mundi exorsum fuisse productione lucis: undè Gen. loco citato legimus lucem primo die factam fuisse.

*Qui manè junctum vesperi
Diem vocari præcipis,
Illabitur tetrum chaos,
Audi preces cum fletibus.*

Præcepti, quo manè junctum vesperi, seu tempus fluens ab ortu solis ad occasum dies vocari debet, verbum fit in libro Genesis, ubi dicitur appellavitque Deus lucem diem. Illabitur tetrum chaos, quod noctem dixisti, id est, jam venit seu appropinquat nox: quippè recitantur vespere, in quibus præsens hymnus ponitur, circa solis occasum: nox autem dicitur tetrum chaos, quia tenebræ noctis confusionem in omnibus objectis quæ visui humano subtrahuntur, pariunt. Audi preces, quas ad te fundemus tempore nocturno, cum fletibus cordis contriti et humiliati. Tempus noctis, ut omnes norunt, est consecratum matutino cantando, ac de ea legimus in psalmis, media nocte surgebam ad con-

fitendum tibi. Et, in noctibus extollite manus vestras in Sancta et benedicite Dominum. Relativè autem ad has preces nocturnas oramus : audi preces nostras cum fletibus.

VI. Auctor hymni feriæ II ad vesperas, *Immense cæli Conditor* est idem ac præcedentis, sicque concluditur :

Lucem fides adaugeat :
Sic luminis jubar ferat :
Hæc vana cuncta proterat :
Hanc falsa nulla comprimant.

Lucem, nempè gratiæ, de qua in præcedentibus versibus dicitur; *fides* firma et devota *adaugeat*, *Sic jubar luminis ferat*, sic seu gratiam illam quæsitam *jubar luminis*, id est Spiritus sanctus, cui in Scripturis sanctificatio nostra specialiter tribuitur, *ferat*, seu nobis tribuat. *Hæc* scilicet *fides vana cuncta*, seu omnia nobis noxia *proterat*, sive conculcet, aut removeat : *hanc* nimirum *fidem falsa nulla* dogmata, nec hæreticorum errores *comprimant*, seu inficiant.

VII. S. *Ambrosius* hymnum feriæ IV ad vesperas, *Cæli Deus sanctissime* composuit, in quo dicitur :

Ut noctibus vel lumini
Diremptionis terminum,
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum.

In versibus præcedentibus hymni auctor prædicat solis et lunæ creationem, et jam refert quid

in eorum productione Deus intenderit, nempe separationem diei à nocte; hoc supposito sensus est: creasti solem et lunam, ut dares *terminum diremptionis*, seu separationis noctibus *vel lumini*, seu diei, aut brevius, ut separares diem à nocte, quod fecit Deus creando luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti. Et ut *dares signum notissimum primordiis* seu initiis *mensium*. Et reverà Judæi, qui menses suos desumunt à lunationibus, in quavis nova lunatione initium mensis inveniunt; nos verò dividentes cursum solis in duodecim partes, in illius annua revolutione menses nostros invenimus.

VIII. Exorditur S. Ambrosius hymnum feriæ V ad vespervas his verbis:

*Magnæ Deus potentiaë,
Qui fertili natos aquâ
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aëra.*

Deus omnipotens, qui natos, id est, pisces et aves productos ex aqua fertili, partim, id est, pisces relinquis gurgiti, seu in aqua concludis, quamvis enim gurges propriè significet fluvium, hic sumitur pro omni aquarum congerie, pro mari, fluviis, stagnis, etc.; partim, nempe aves, levas in aëra.

*Demersa lymphis imprimens,
Subjecta cœlis erigens:
Ut stirpe ab una prodita
Diversa repleant loca.*

Reddit S. Ambrosius rationem cur Deus pisces in aquis, et aves in aëre posuerit; tu Deus, inquit, *imprimens*, seu submergens *demersa lymphis*, id est, pisces in *lymphis* seu aquis natantes, et erigens in *cælis subvecta*, id est, volatilia pennata à terris *subvecta* seu elevata ad aërem usque extollens, hoc voluisti, *ut prodita ab una stirpe*, tum natatilia, tum volucra ex eodem elemento, nempe aquâ producta *diversa repleant loca* ad ornamentum terræ, nimirum aquas pisces, et aëra volucres.

IX. In hymno S. Ambrosii ad vespervas feriæ VI, sequens strophæ aliquam exigit animadversionem:

*Et magna rerum corpora ,
 Dictu jubentis vivida ,
 Per temporum certas vices
 Obtemperare servulis.*

Per *magna rerum corpora* intelliguntur pecora, et alia terrestrium animalium genera; prout patet ex verbis sequentibus, quibus vita eis tribuitur: *dictu jubentis*, seu verbo Dei imperantis *vivida*, seu vitam habentia, quæ Deus obedire facit hominibus *servulis per certas vices temporum*; id est, omni tempore. Illud autem Dei mandatum legimus in libro Genesis cap. 1. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cæli universæque terræ, et universis animantibus, quæ moventur, super terram.* Et in psalmo 8 Propheta Deum alloquens ait: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, scilicet hominis, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cæli et pisces maris, qui perambulant semi-*

tas maris. Hoc dominium hominis in animalia in statu innocentiae fuisset perfectum; homo enim illa sibi ad nutum subdita et docibilia habuisset; sed minutum est valdè post illius peccatum: multa quippe ex animalibus sunt jam ita ferocia et rebellia, ut homini timorem incutiant; alia verò, et ferè omnia ad præsentiam hominis timida sunt et fugacia: interim homo speciem dominii in illa retinuit, quatenus quod vi et imperio in illis non valet, saltem arte et industriâ obtinere potest, habetque de illis disponere prout voluerit.

ARTICULUS II.

De hymnis de tempore.

I. HYMNUS ad laudes tempore adventus S. Ambrosio tribuitur, sicque incipit:

*En clara vox redarguit
Obscura quæque personans;
Procul fugentur somnia,
Ab alto Jesus promicat.*

Clara vox est hic Filius Dei incarnatus; quippe ante assumptam naturam humanam, verbum, seu imago Patris erat, sed non vox, quæ involvit sonum externum et articulatum, et consequenter quæ concipi nequit absque corpore: hoc posito, sensus est: *en*, seu adveniente in mundum Filio Dei sub forma humana, *clara vox* Patris, seu Filius ejus carne indutus *redarguit personans* seu increpans *obscura quæque*, id est,

peccata hominum : porrò peccata dicuntur *obscura*, 1.^o quia malè agentes odio lucem habent, et ad peccandum quærent tenebras. 2.^o Quia peccata obscurant sive tenebras in mentem inducunt, uti declarat Scriptura *Danielis* cap. 13. in personis Judicum cum *Susanna* impurè agentium : *Everterunt, inquit, sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum. Procul fugentur somnia*, scilicet vanitatum hujus sæculi, quibus homines præoccupati fiunt Dei immemores, et sola terrena sectantur : quia *Jesus ab alto* seu à fulgore, quo in sinu Patris clarificatur, jam in terris constitutus *promicat*, seu refulget sanctitate, doctrinâ et prodigiis.

Aliqui per *vocem claram* hîc intelligunt vocem evangelii, vel *S. Joannis Baptistæ*, de quo scriptum est *Isaiæ* cap. 40 : *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*, et juxta hanc vocis acceptionem etiam sensus legitimus formari potest.

II. In hymno Nativitatis Domini ad matutinum *A solis ortûs cardine*, qui *Sedulium* (1) habet auctorem, legitur :

*Castæ parentis viscera
Cælestis intrat gratia,
Venter puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.*

Gratia cælestis, seu Filius Dei gratiæ auctor, vel Spiritus sanetus, cujus ope peractum est. Incar-

(1) *Caius Cælius*, vel *Cæcilius Sedulius* presbyter et poëta, floruit sæculo V, circa annum 450.

nationis mysterium, juxta illud Scripturæ *Luceæ* cap. 1 : *Spiritus sanctus superveniet in te. Intrat viscera, seu uterum castæ parentis, seu Matris. Venter puellæ, Mariæ nimirum Virginis, bajulat seu portat secreta, nempe cœlestia Regis regum incarnati : cùm autem hoc mysterium non tantùm esset mundo ignotum, sed et ipsi Virgini Mariæ, antequam de illo instrueretur ab Archangelo Gabriele, ideò additur, quæ non noverat.*

III. Hymnum matutini in quadragesima cecinit S. Ambrosius.

Ex more docti mystico

Servemus hoc jejunium

Deno dierum circulo

Ducto quater notissimo.

Mysticum juxta *Abulensem* idem sonat, ac occultum, divinum, sanctum, ac figurativum. Hic autem triplici modo sumi potest : imprimis pro divino, quia jejunium Christi fuit divinum nobis exemplar. Idem quoque dici potest de jejunio *Moysis* et *Eliæ* ; eò quòd Deo dictante illud exuerint. Deindè pro sacro, quia jejunium trium illorum opus fuit religionis, et consequenter sanctum. Sed rectiùs sumitur pro figurativo, ita ut sensus sit : *docti ex more*, seu exemplo præsignante, quid nobis sit agendum ; *servemus hoc jejunium*, nimirum quadragesimale ; decies enim *quater ducta* notissimè conficiunt quadraginta.

Memento quòd sumus tui,

Licèt caduci plasmatis :

Ne des honorem nominis

Tui, precamur, alteri.

Ut petita faciliùs concedas, ô Deus, recordare quòd sumus tui titulo creationis et redemptionis, licèt caduci plasmatis, seu naturæ fragilis et ad lapsum pronæ: corpus quippe nostrum formatum est è limo terræ, et propter peccatum originale continuis concupiscentiæ flammis agitatur. Quæsumus, ne des honorem tui nominis alteri, seu diabolo, id est, ne permittas hominem subjici dæmonis imperio. Homo autem dicitur honor divini nominis; quia in eo præ cæteris creaturis visibilibus relucet Dei potentia, sapientia, misericordia et gloria.

IV. Hymni celebris ad vespervas tempore passionis, scilicet *Vexilla Regis prodeunt* auctor non est certus: nonnulli *Fortunatum* (1) illius auctorem; alii verò *Theodulphum* (2), vel *S. Ambrosium*, aut *Sedulium*. In illo sequentia habentur:

*Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit undâ et sanguine.*

Pronomen quæ refertur ad vitam, de qua in præcedenti stropha: quæ ergò vita Christi mucrone

(1) *Venantius Fortunatus* presbyter, et juxta aliquos episcopus Pictaviensis, floruit sub fine sæculi IV, estque mortuus circa annum 609, nationeque Italus erat.

(2) *Theodulphus* floruit scientiâ sæculo IX. Ex Italia à *Carolo Magno* adductus fuit in Galliam et ab eodem imperatore ad episcopatum Pictaviensem promotus, circa annum 795: obiit anno 821. Fertur etiam conspirationis causâ in *Bernardum* Italiæ regem in carcere inclusum composuisse hymnum *Gloria, laus et honor*, qui canitur infra processionem palmarum: hunc hymnum cum è carcere projecisset ad imperatorem transeuntem, hic captus illius elegantiam (mediocri tamen), libertatem illi donasse narratur.

diro, seu cuspide (gallicè *pointe*) crudeli lanceæ vulnerata manavit, seu fluxit undâ, id est, aquâ et sanguine, non simul permixtis, aliàs unum ab alio non potuisset distingui, sed seorsim latus Salvatoris lanceâ confossum aquam emisit, et successivè sanguinem *ut nos lavaret à sordibus criminum*.

Circa famosa verba hujus hymni: regnavit à ligno Deus, vide dicta art. VIII, n. VII, pag. 70 et seq.

*Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpurâ,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.*

Arbor importat lignum vivens, sed hic sumitur pro arido, quod dicitur arbor, seu lignum vivens, quia in eo vita totius mundi erat affixa. *Decora et fulgida* ratione Christi in ea pendentis. *Ornata Regis purpurâ*, seu sanguine. *Electa* divinitus è *digno stipite*, seu præclaro trunco, *tam sancta membra tangere*, id est, ut tangeret sacra Christi membra.

V. *Fortunatus* traditur auctor hymni ad matutinum infra tempus passionis, qui incipit: *Pange, lingua, gloriosi lauream certaminis*, et cujus secunda stropha sic habet:

*De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit
Damna ligni ut solveret.*

In his carminibus rationem reddit *Fortunatus*, cur Deus mundum redemerit: quia nempe *factor* ejus factus est *condolens* super *fraude* quâ cecidit innocentia parentis seu Adam *protoplasti*, id est, primi hominis à Deo è terra formati. Exprimitur deindè quo tempore et modo Deus mysterium redemptionis humanæ statuerit; tempus imprimis definitur immediatè post peccatum Adami, seu *quando* suasionem uxoris jam deceptæ à diabolo *ruit* in mortem *morsu pomi noxialis*, seu fructus vetiti; *ipse* Deus *lignum tunc notavit*, ut *solveret damna ligni*, seu peccatum: undè Ecclesia in præfatione passionis cantat: *Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut undè mors oriebatur, indè vita resurgeret per Christum Dominum nostrum.*

*Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret indè,
Hostis undè læserat.*

Ordo exegerat hoc opus nostræ salutis ita fieri, nempe ut *ars* Dei, qui libro Sap. cap. 1. dicitur *omnium artifex, falleret*, seu superaret *artem proditoris multiformis*, id est, diaboli, qui non uno modo, sed multiplici primum hominem tentavit, scilicet circa gulam, immortalitatem, et superbiam, *et medelam ferret indè, hostis undè læserat.* Adam per actum inobedientiæ hominem perdiderat, quem Christus actu obedientiæ sanavit, *factus est enim obediens usque ad mortem, vel potius*

serpens vicit hominem in ligno, suadens ei, ut ederet de fructu illius vetito, et Christus identidem diabolum in ligno vicit, sustinens mortem in ara crucis.

*Quando venit ergò sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis conditor,
Atque ventre virginali
Carne amictus prodiit.*

Per plenitudinem temporis significatur tempus à Deo præordinatum ad redemptionem generis humani: ita divus *Anselmus*; hoc est, inquit, ubi impletum fuit tempus à Patre præfixum fini legis, et initio gratiæ ac evangelii. Consonat apostolus ad Galatas cap. 4, dicens: *At ubi venit plenitudo temporis, scilicet sexta mundi ætas, misit Deus Filium suum... ut eos qui sub lege erant, redimeret.* Reliquum hymni per se patet.

VI. Hymnus ad laudes tempore passionis eidem *Fortunato* datur, sicque incipit:

*Lustra sex qui jam peregit
Tempus implens corporis,
Sponte liberâ Redemptor
Passioni deditus,
Agnus in crucis levatur
Immolandus stipite.*

Lustrum importat quinquennium, seu spatium quinque annorum; quinque autem anni sexies ducti conficiunt triginta: undè sensus est, cum

Christus *lustra sex* ætatis jam p̄regisset, seu ad ætatem triginta annorum pervenisset, *tempusque* ìmplesset *corporis*, id est, cùm omne incrementum in suo corpore accepisset, quod accidere solet circa annum trigesimum *sponte passioni* se dedit, et immolandum *in crucis stipite*, seu in ara vel ligno crucis, non quidem statim adepto ætatis trigesimo anno, sed postea (1), et ideò in carmine non dicitur simpliciter *lustra sex qui peregit*, sed additur particula *jam* ad significandam illam ætatem in præterito habuisse.

*Felle potus, ecce languet,
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforârunt:
Unda manat et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine.*

(1) Quo ætatis anno Christus sit mortuus, est quid obscurum valdè. *S. Clemens Alexandrinus*, qui floruit sub fine II. sæculi, et mortuus est circa annum 20 sequentis, cum quibusdam aliis SS. PP. supponit Christum vixisse 15 annis sub *Augusto*, et 15 tantùm sub *Tiberio*; adeòque mortuum esse in anno 51 suæ ætatis. Ast in illo supposito Christus solùm prædicasset Judæis per unum annum, quod repugnat dictis evangelii. *S. Iræneus* ex his verbis Judæorum ad Christum malè intellectis *Joan. cap. 8. quinquaginta annos nondùm habes, et Abraham vidisti*, infert Christum è vita excidisse post quadragesimum vitæ annum, et antequam attingeret 50. Celebris *P. Petau* è Societate Jesu tenet Christum esse mortuum anno vitæ 55. Alii volunt fuisse è medio ablatum 56 anno. Communis autem sententia habet hoc lumen mundi fuisse extinctum 55 anno vitæ suæ. Nostri instituti non est hic dissolvere hanc intricatam difficultatem: demonstrasse nobis salis est *Fortunatum* compositione hujus carminis dimisisse incertum, ut teneret certum, dicendo simpliciter Christum fuisse cruci affixum post sex lustra vitæ, id est, post annum trigesimum.

In primo versu hujus strophæ, *potus* seu potatus, participium passivum verbi *poto*, felle potus, gallicè *abreuvé de fiel*. *Spina*, *clavi*, etc., *corpus perforârunt*; *unda* seu aqua *manat*, id est, fluit, et *cruor* seu sanguis, *quo flumine* sanguinis, scilicet et aquæ *lavantur terra*, seu homines qui de terra sunt et de terra loquuntur, *pontus* sive mare, id est, homines vitiis fluctuantes, quorum cor ut mare fervet, *astra*, seu homines justi ut justificentur adhuc, et *mundus*, id est, tota Ecclesia composita ex bonis et malis. Vel juxta aliquos per *mundum* intellige mundanos; sed admittenda tunc est repetitio, cum terra hic et mundus sint synonyma.

*CruX fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, germine:
Dulce ferrum, dulce lignum
Dulce pondus sustinent.*

1.º Quæri potest, quo sensu *cruX fidelis* et *nobilis* dicatur? Imprimis denominatur *fidelis* causâ cujusdam similitudinis: nam sicuti homo *fidem* Christi recipiens *fidelis* dicitur, ita *cruX* Christum in se admittens *fidelis* indè nuncupatur. Vel etiam sic appellatur: quia *cruX* est signum quo fideles ab infidelibus secernuntur. Deindè *nobilis* vocatur, et quidem in officio *crucis* *splendidior cunctis astris*: quia in die judicii miro modo astrorum splendorem offuscabit.

2.º Quæritur è quo ligno *cruX* fabricata sit?

Juxta *Beda* in collectaneis, ex lignis quatuor specierum, nempe è cupresso, cedro, pino, et buxo pro titulo ipsius crucis. Juxta *Glossam* autem *Clem. I* compacta fuit ex cedro in stipite, ex palma in palo per longum, ex cupresso in ligno transverso, et ex oliva in tabulo super crucem.

Nulla silva talem arborem profert fronde, seu folio virente, non quidem materiali, sed spirituali, quatenus genus humanum iniquitate aridum, gratiâ Christi, cujus instrumentum fuit lignum crucis, ad vitam revocatum est, sic ut mysterio crucis quodammodo fronderit, *Flore*, de quo scriptum est in Canticis Canticorum: *Ego flos campi... lilium convallium*. Et *Isaiæ* cap. 11.: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*, nempe Christus. *Germine*, quia crux sustinuit Christum frumentum electorum, panem Angelorum, de quo *Joannis* cap. 6.: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*.

Dulce ferrum, seu dulces clavi, *dulce lignum*, nempe crucis; porro *ferrum et lignum crucis dulcia* dicuntur, non respectivè ad Christum, cui fuerunt dura mortis instrumenta, sed respectivè ad nos, qui indè magnam salutis æternæ dulcedinem percepimus: undè hujus dulcedinis hæc ratio redditur, quia *sustinent dulce pondus*, nempe corpus Christi victimam reconciliationis humanæ, et cibum animarum nostrarum, de quo propheticè in psalmo 67 dicitur: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*.

VII. Auctor hymni Paschalis ad vespas est ignotus, sicque habet illius initium:

*Ad regias Agni dapes ,
Stolis amicti candidis ,
Post transitum maris rubri
Christo canamus Principi.*

Dapibus regis significatur *cibus eucharisticus*; *dapes* autem illæ dicuntur *regiæ*, quia sunt corpus et sanguis Christi qui Rex est et Rex regum. Hoc posito sensus est : *eamus ad regias Agni dapes* cum *stolis* seu vestibus præclaris innocentiae, vel acceptæ per Sacramentum regenerationis, vel recuperatæ per Sacramentum pœnitentiæ, sanctitas enim requiritur in communicantibus juxta illud apostoli 1. ad Corinth. cap. 11. : *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat. Post transitum maris rubri* : hic est expressio metaphorica, quâ sub typo transitûs Hebræorum per mare significatur transitus peccatorum per vias pœnitentiæ ad statum gratiæ; ita ut sensus sit proprius : liberati à captivitate dæmonis per undas salubres Sacramenti pœnitentiæ, *Christo canamus Principi* canticum laudis et gratiarum actionis ad exemplar Moysis *post transitum maris rubri*.

*Divina cujus charitas
Sacrum propinat sanguinem ,
Almique membra corporis
Amor sacerdos immolat.*

Christo ut suprâ, canamus, *cujus divina charitas propinat*, seu potandum offert *sacrum* sui sanguinem, et *cujus amor* erga nos, quasi *sacerdos*,

immolat membra almi sui corporis, seu suum corpus in cibum spiritualem animarum nostrarum.

*Jam Pascha nostrum Christus est,
Paschalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.*

Pascha idem est ac transitus: porrò Christus dicitur Pascha nostrum: quia per eum transimus à morte spirituali ad vitam spiritualem, et ab hoc mundo ad ipsius Patrem. Idem Christus est nobis victima Paschalis, quâ reficimur, reformamur et transimus ad statum meliorem, estque simul pura azyma sinceritatis puris mentibus. Azyma est panis purus sine fermento; dicitur autem Christus azyma pura et sinceritatis, eò quòd in se non habeat aliquam vitiorum corruptionem. Puris mentibus, id est, animabus sanctis, quibus, solis peccatoribus exclusis, hunc panem degustare licet.

*O vera cœli victima,
Subjecta cui sunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitæ præmia.*

O vera victima cœli, vel vera oblatio cœlestis, seu verum et cœleste sacrificium in ara crucis oblatum, cui tartara subjecta sunt, seu profundissima inferni loca, et præsertim loca limborum, in quæ Christus descendit ad liberandos SS. Patres ibi degentes: undè additur per quam, nempe victimam, soluta sunt vincula mortis di-

ctorum Patrum, qui in tenebris et umbra mortis habitabant, et ab iisdem *recepta* sunt *præmia vitæ*, nimirum æternæ.

*Victor subactis inferis
Trophæa Christus explicat,
Cæloque aperto subditum
Regem tenebrarum trahit.*

Christus victor subjugato inferni principe, *apertoque* Patribus cælo per suam resurrectionem, *trahit regem tenebrarum* sibi *subditum*, sensu, quo dicitur Apocal. cap. 20.: *Apprehendit draconem... et ligavit.... et misit eum in abyssum et clausit, et signavit super illud. Et explicat trophæa*, seu exponit, et manifestat victoriam, id est, animas sanctorum Patrum, quas à limbo sustulit,

*Ut sis perenne mentibus.
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.*

His verbis oratio funditur pro neobaptizatis sab-
bato sancto : hoc posito, sensus est : *Jesu, ut
sis mentibus* regenerantium *Paschale gaudium*, id
est, ut sentiant eandem cordis lætitiã, illam-
que perenniter conservent, quam sub festis
Paschalibus, ex infusione donorum Spiritûs san-
cti perceperunt, à *morte dira criminum*, nempe
futurorum, *vitæ renatos* baptismo *libera*. Hæc
oratio etiam convenit regeneratis in Paschate sa-
cramento pœnitentiæ, et deindè reffectis pane
cœlesti; adeoque illis adaptari potest, et eò

magis , quòd nunc baptismus , non ampliùs ut olim , adultis solemniter conferatur sabbato sancto ; ita ut defectu subjectorum , vix possit verificari nunc de neobaptizatis.

VIII. In hymno dominicæ in albis ad matutinum , cujus auctor nescitur , hæc carmina leguntur :

*Nascente qui mundo Faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo nobilem
Limo jugasti spiritum.*

Qui faber mundo nascente, seu qui fabricans de nihilo omnia entia , tum visibilia , tum invisibilia *nascente mundo*, seu in principio temporis *tradens Adamo imaginem nobilem tui vultus*, *limo jugasti spiritum*, seu copulasti *limo*, id est, Adamo è limo formato spiritum, seu animam rationalem infudisti.

IX. Hymnus S. Ambrosii ad laudes Dominicæ in albis incipit :

*Aurora cœlum purpurat ,
Æther resultat laudibus ,
Mundus triumphans jubilat ,
Horrens avernus infremat.*

Aurora, seu lucis crepusculum diei dominicæ, in qua Christus ab inferis resurrexit, *cœlum purpurat*, id est, purpureum, seu aureum colorem cœlo reddit. *Æther resultat laudibus*, hoc est, ætherei seu cœlestes spiritus laudibus extollunt dominicam resurrectionem. *Mundus* nempe christianus, videns

caput suum à mortuis surrexisse *triumphans jubilat*, seu exultat præ gaudio : hinc in officio Paschali tota canit Ecclesia seipsam excitans ad lætiam : *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Avernus* seu infernus *horrens* ob fractum Christi resurrectione sui imperium et ob prædam SS. Patrum sibi ereptam *infremit dolore* et indignatione.

X. S. *Ambrosius* in hymno Ascensionis Christi Domini ad vespervas, qui incipit *Salutis humanæ Sator*, habet :

*Perrumpis infernum chaos,
Vinctis catenas detrahis.
Victor triumpho nobili,
Ad dexteram Patris sedes.*

Perrumpis infernum chaos, id est descendis in infernum, ubi animæ SS. Patrum erant detentæ; *vinctis*, seu ligatis in illo loco, *catenas detrahis*, et captivos indè educis *Victor* gloriosus mortis cum illis in gloria *Patris sedes*.

*Tu dux ad astra et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium.*

Tu, qui es *dux et semita ad astra*, seu cœlum, *sis* pariter *meta*, seu terminus et confinium *cordibus nostris*, ut hic in terris, te solum, super omnia, et continuò diligant; *sis lacrymarum gaudium*, id est, *sis* in hac lacrymarum valle consolator noster; et tandem *sis dulce præmium vitæ æternæ*.

XI. Idem *S. Ambrosius* est auctor hymni ad matutinum in festo dictæ Ascensionis *Æternæ Rex altissime*, in quo scriptum est :

*Tremunt videntes Angeli
Versam vicem mortalium :
Peccat caro , mundat caro ,
Regnat Deus Dei caro.*

Angeli tremunt timore, non formidinis, sed admirationis et venerationis, *videntes* immutatam sortem *mortalium*; utpotè qui à captivitate dæmonis transierunt in adoptionem filiorum Dei. *Peccat caro*, nempe Adam, *mundat* ipsum *caro*, nempe Christi in cruce suspensa. Tandem *caro Dei*, seu Christus homo factus, et verus *Deus*, *regnat* triumphator hodie ascendens in regnum suum.

XII. Carmen in ordine liturgico celeberrimum Sancti Spiritûs *Veni creator*, quod canitur in solemnitate Pentecostes, et sæpè per annum dum gratiæ divini flaminis suscitantur, sancto *Ambrosio* Ecclesiæ doctore tribuitur. In illo sequentia quamdam elucidationem exigere videntur.

*Qui diceris Paraclitus ,
Altissimi donum Dei ,
Fons vivus , ignis , charitas ,
Et spiritualis unctio.*

Quidam volunt legendum esse *paracletus*, et non *paraclitus*, quasi hoc verbum cum littera *i* importaret infamem seu sceleratum; ideòque in nonnullis breviariis intrà Gallias impressis con-

stanter retinetur *paracletus*. Sed super hoc dico equidem *paraclytum* cum *y* duplici significare hominem infamem; ast dum inscribitur cum *e* vel *i* simplici significare consolatorem, sic ut *paracletus* et *paraclitus* sint synonyma: hac super re videri potest *Calèpinus*, verbo *paraclitus*.

Qui diceris *Paraclitus*, et etiam *donum Dei altissimi*, Patris nempe et Filii, à quibus procedis, quique te nobis dederunt. Et diceris *fontis vivus* omnium gratiarum cœlestium; et *ignis*, quo vitia, peccata et infirmitates in corde humano consumuntur; et *charitas*, non tantum in temetipso, quia es amor Patris et Filii, sed et causaliter quatenus in nobis flammam divini amoris accendis; *spiritualis unctio*, quâ anima nostra in servitio Dei recreatur.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Tu es, Sancte Spiritus, septiformis munere, seu possides septem dona hominibus distribuenda, scilicet donum sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris. Tu es *digitus dexteræ paternæ*: per dexteram Patris intelligitur virtus seu potentia, de qua in psalmo 117 dicitur: *Dextera Domini fecit virtutem*. Porrò virtus Dei exprimitur potius per dexteram, quam per sinistram; quia illa est hâc validior ad operationem. Per *digitum autem paternæ dexteræ* significatur virtutem illam Sancti Spiritus non esse precariam, sed illi propriam, et consubstantia-

lem; sicuti enim digitus pertinet ad substantiam manûs; ita et virtus Spiritûs Sancti, qui unum est cum Patre, non aliam habet virtutem et potentiam quàm ipsius Patris; adeoque illi sicut Patri est propria. *Tu es ritè promissum*, seu promissio *Patris*. Sed quæri potest ubi Spiritus S. à Patre fuerit promissus? Ad quod dicitur Joan. 14, ubi legitur: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*; undè sic argumentari licet: non est dubium, quin Filius in hac oratione se senserit pro sua reverentia à Patre exauditum, seu quin Pater ei promiserit illud quod petebat, adeoque verè dici potest Spiritum Sanctum fuisse hominibus à Patre ipso promissum. Deindè promissio illa habetur Joëlis cap. 2. ubi legitur: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri, et filia vestra: senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.*

XIII. Ad matutinum in die Pentecostes pònitur hymnus sancti *Ambrosii*: *Jam Christus astra ascenderit*, in quo habetur:

*Solemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.*

Solemnis urgebat, seu instabat dies Pentecostes quo orbis volutus septies à Paschate, revolutione nempe hebdomadarum, *mystico septemplici*, id est, septenâ revolutione hebdomadarum figura-

tivè sumpta , seu à lege accepta in monte Sinai quinquagesimo die ab exitu filiorum Israël de Ægypto , *signat beata tempora* descensûs Spiritûs Sancti in apostolos. Per beata tempora quidem intelligunt annum jubilæum apud Judæos , qui singulis quinquaginta annis celebrabatur , aut etiam beata tempora æternæ quietis , sed rectiùs primo sensu hæc verba sunt accipienda : undè relativè ad illum sequitur :

*Dum lucis hora tertia
Repentè mundus intonat ,
Apostolis orantibus
Deum venire nuntiat.*

Exprimitur imprimis tempus adventûs S. Spiritûs , *dum lucis esset hora tertia* , id est , circa horam nonam matutinam. Deindè modus , quo venit idem Spiritus ; *repentè mundus intonat* , seu ut narratur in Actibus apostolorum : *Factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis Spiritûs vehementis* , seu venti validi , quo admoniti sunt apostoli de actuali missione Spiritûs sibi promissi.

XIV. S. Hilarius composuit hymnum festi Pentecostes ad laudes *Beata nobis gaudia* , in quo sequentia carmina :

*Patrata sunt hæc mysticè ,
Paschæ peracto tempore ,
Sacro dierum circulo
Quo lege fit remissio.*

Patrata sunt hæc , nempe narrata in primis strophis hujus hymni , non nudè et simpliciter , sed

mysticè, seu figurativè, id est, respectivè ad jubilæum veteris Testamenti, quod celebrabatur singulis quinquagesimis annis, et sub quo servi libertatem, et agri oppignorati dominos recuperabant, etc. Notatur deindè tempus, quo hæc acciderunt, *Paschæ peracto tempore, sacro dierum circulo, quo lege fit remissio*, id est, quinquagesimo die à Paschate, quo eodem numero annorum fiebat sub veteri lege debitorum remissio causâ jubilæi.

XV. Hymni in solemnitate SS. corporis Christi communiter tribuuntur sancto *Thomæ Aquinati*. Cùm illorum sensus satis per se pateat, pauca de illis hîc subjiciemus; et imprimis in hymno ad vespervas legitur,

*Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.*

Nonnulli volunt hîc verbum *generosi* esse improprium; siquidem nullo bono sensu venter B. M. V. generosus dici possit: undè, inquiunt, aptius substitui potuisset *illibati*. Sed non advertunt verba *generosus* et *nobilis* esse voces synonymas: accipiendo autem *generosi* pro *nobilis*, nihil ampliùs implicat, cùm beata Virgo orta sit de generosa et nobili stirpe David.

*Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit,*

*Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.*

Verbum caro factum per mysterium Incarnationis, seu Christus Dominus verus Deus, verus homo, verbo oris sui omnipotentis, seu his verbis: Hoc est corpus meum, panem verum, seu triticeum, carnem suam efficit, remanentibus solis panis speciebus. Fitque merum, seu vinum his verbis: Hic est sanguis meus, Christi sanguis.

Hymnus ad laudes sic incipit:

*Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.*

Verbum supernum prodiens, id est, Christus per humanæ naturæ assumptionem se manifestans, nec Patris linquens dexteram, seu remanens in gloria Patris, quia unum est cum illo, ad opus suum, scilicet redemptionis humanæ exiens, venit ad vitæ suæ vesperam, cum pridè quàm moreretur, Eucharistiam instituit.

ARTICULUS III.

Annotationes in hymnos proprios Sanctorum.

I. In hymno *S. Martinæ* ad matutinum, qui datur *Urbano VIII*, sequentia carmina inseruntur;

*Tet huris redolens ara vaporibus
 Quæ fumat, precibus Jugiter invocat,
 Et falsum perimens auspicium tui
 Delet nominis omine.*

Sic disponi debent prima verba hujus carminis; *ara, quæ redolens vaporibus thuris fumat, jugiter te invocat precibus*: hoc posito sensus est: *ara*, etc., id est, solemnis cultus, qui tibi, ô *Martina*, in Ecclesia impenditur, tum oblatione sacrificii, tum cantu divini officii, cum *thuris* crematione, tuum continuo *invocat* auxilium, *precibus* quæ in illis ad te funduntur; et eadem *ara* in sensu jam dato *tui nominis* merito et protectione *delet* seu destruit *auspicium*, seu idolorum imperium *falsum*, et *perimens*, seu maximè nocivum animarum saluti.

II. In hymno ad laudes ejusdem Sanctæ, sic Ecclesia ejus auxilium implorat :

*Et regum socians agmina sub crucis
 Vexillo, Solimas nexibus exime,
 Vindexque innocui sanguinis, hosticum
 Robur funditis erue.*

In stropha præcedente oratio fit in gratiam ditionis Romanæ *tu natale solum*, seu terram nativitatis *protege*, etc. Nunc autem vertitur in gratiam urbis Jerusalem: et *Regum*, nempe Christianorum *socians*, seu suâ intercessionem uniens *agmina sub vexillo crucis*, *Solimas*, id est, Jerusalem *nexibus*, quibus sub dura Paganorum seu infidelium tyrannide ingemiscit, libera *vindex sanguinis innocui* fidelium, qui à dictis infide-

libus immanè funditur : *robur hosticum*, seu hostium illorum *funditùs erue*, hoc est, destrue.

III. Hymnorum sancti *Josephi* auctor nescitur, in illis nihil captui lectoris obstare videtur nisi fortè hæc verba hymni ad laudes : *Hinc Stygis victor*; porrò per *Stygem* infernum intelligitur, ita ut sensus sit, qui infernum vicit, seu qui pericula illius superavit.

IV. Hymnus sancti *Hermenegildi* M.

*Regali solio fortis Iberiæ
Hermengilde jubar, gloria martyrum
Christi quos amor almis
Cæli cætibus inserit.*

Hermengilde jubar, seu lux et splendor *regali solio*, seu potiùs regalis solii, seu throni regii *fortis Iberiæ*, nempe regni Hispaniæ (1). *Gloria martyrum, quos amor Christi inserit almis cætibus cæli*. Sanctus dicitur gloria martyrum, non quasi sit in cælo constitutus princeps martyrum, sed eò quòd partem in eorum gloria meruerit.

*Ut perstas patiens pollicitum Deo
Servans obsequium, quo potius tibi
Nil proponis; et arces
Cautus noxia quæ placent!*

Particula *ut* signum est admirationis, hicidem significans ac quomodò; quomodò igitur *perstas*, seu firmiter et invincibiliter permanes *patiens* in carcere obscuro vinculatus, *servans pollicitum*, seu

(1) *Hispania* olim vocabatur *Iberia*.

promissum in Sacramento fidei *Deo obsequium*, quo obsequio *nil potius tibi proponis*, seu cui omnia terrena postponis; et *cautus*, seu attentus *arces* seu removes *noxia quæ carni placent*, nempè regnum Iberiæ, illius honores, simul et delicias, quæ sine apostasia à fide obtinere non poteris.

Ut motus cohibes, pabula qui parant

Surgentis vitii; non dubios agens

Per vestigia gressus,

Quò veri via dirigit!

Ut, seu quomodò, ut supra, *cohibes motus carnis concupiscentiæ, qui parant pabula vitii surgentis*, seu nascentis; juxta illud epistolæ *Jacobi* cap. 1. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus et illectus. Deindè concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Agens non dubios*, id est, certos et securos *gressus per vestigia*, seu per semitas lubricas hujus sæculi, tendis *quò dirigit via veri*, id est, veræ fidei.

V. In festo *S. Michaëlis* ad vespervas et matutinum ponitur hymnus *Te splendor et virtus Patris*, cujus auctor est ignotus: secunda illius stropha sic componitur:

Tibi mille densa millium

Ducum corona militat;

Sed explicat victor crucem

Michaël salutis signifer.

Densa corona, seu magna multitudo, nempè *mille millium ducum*, seu Angelorum, de quâ in *Apocalip.* cap. 5. v. 11: *Audivi vocem Angelorum,*

et erat numerus eorum millia millium, id est, innumerabilis. *Tibi*, Christo, *militat*, seu servit; sed *Michaël* princeps militiæ cœlestis olim victor draconis seu Luciferi et angelorum rebellium, jam *signifer salutis explicat crucem*, id est, illam extollit et monstrat ut signum redemptionis humanæ. Breviter sensus est: *Michaël* sicut olim pugnavit cum dracone et eum vicit, ita nunc militat contra illum, ne à perceptione meritorum crucis diabolicis tentationibus fideles impediatur; undè Ecclesia de eo cantat: *Archangele Michaël, constitui te principem super omnes animas suscipiendas.*

VI. In hymno ejusdem Archangeli ad laudes cuius etiam nescitur auctor, legitur:

*Angelus fortis Gabriël, ut hostes
Pellat antiquos, et amica cœlo,
Quæ triumphator statuit per orbem
Templa revisat.*

Gabriël, Angelus fortis veniat, ut *pellat* à nobis antiquos hostes, nempe dæmones, qui ab initio mundi hominibus insidiantur, et *revisat templa amica cœlo*; id est, et visitet, seu protegat ecclesias, cœlo seu Deo charas, quæ templa seu ecclesias triumphator mortis Christus statuit, seu fundavit per omnem terrarum orbem.

*Virgo dux pacis, genitrixque lucis,
Totus et nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia Cœli.*

Invocato adjutorio *Michaëlis, Gabriëlis* et *Raphaëlis*, hymnus concluditur, 1.º Invocatione beatæ Mariæ

Virginis , quæ hîc vocatur *dux* , seu auctrix *pacis* , quia Christum dedit mundo , qui ad Ephesios 2 , dicitur *pax nostra*. Cùm autem Christum nobis dederit illum concipiendo , additur *genitrixque lucis* , id est , ejusdem Christi , de quo Joan. 1 dicitur : *Lux vera , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. 2.º Invocatione generali omnium Angelorum *et chorus Angelorum semper nobis assistat*. 3.º Tandem invocatione omnium Sanctorum : *et Regia cœli micantis* , id est , palatium cœleste , seu omnis societas Sanctorum et Sanctarum , verbo , tota curia cœli.

VII. Hymnus ad vespervas in festo sancti *Joannis Baptistæ* fuit editus à *Paulo* diacono (1) historico , incipitque :

UT *queant laxis* *Resonare fibris*
 Mira *gestarum Famuli tuorum* ,
 SOLVE *polluti Labii reatum* ,
 SANCTE *Joannes*.

Sensus est : *sancte Joannes* , tolle culpam *labii* , seu oris *polluti* , ut *famuli* tui valeant dignè cantare *mira gestorum* seu factorum tuorum , *laxis fibris* gutturis , hoc est , gutture aperto.

Notari hîc potest suprascripta carmina tali arte et industriâ esse composita , ut exprimant septem notas cantûs Gregoriani , ut , re , mi , fa , sol , la , za , scilicet in his verbis : *ut , resonare , mira , famuli , solve , labii , sancte*.

(1) *Paulus* nomine familiæ *Warnefridus* , in Aquilea ortus est , obiit sub initio sæculi IX monachus Montis-Cassini.

*Nuncius celso veniens Olympo
Te patri magnum fore nasciturum ,
Nomen , et vitæ seriem gerendæ
Ordine promit.*

Nuncius, seu Archangelus *Gabriël* è cœlo descendens revelat patri tuo *Zachariæ*; 1.º *te fore nasciturum* ex utero sterili; 2.º *te fore magnum*, nempe prophetam Altissimi; 3.º *nomen* tibi dedit, nempe *Joannis*; 4.º *seriem* ei revelavit totius vitæ, prout patet ex his verbis Cantici *Benedictus*: *Præ-ibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus*, etc.

*Ille promissi dubius superni ,
Perdidit promptæ modulus loquelæ ;
Sed reformasti genitus peremptæ
Organa vocis.*

Ille *Zacharias*, pater tuus *dubius* circa sibi promissa à *Gabriële*, in pœnam dubii mutus factus est; *sed* tu *genitus* vocem ei restituisti.

*Ventris obstruso recubans cubili
Senserat Regem thalamo manentem :
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pandit.*

Joannes Baptista existens in utero matris tuæ *Elisabeth* cognoveras Christum latitantem in clau- stro beatæ *Mariæ Virginis*; et indè *uterque* parens, *Zacharias* nempe Cantico *Benedictus Dominus Deus Israël*, et *Elisabeth* his verbis *benedicta tu inter mu-*

lieres, *abdita*, id est, occultas Dei operationes *pandit* seu manifestat; idque *meritis* ipsius *nati*, nempe *Joannis* in utero matris sanctificati.

VIII. Hymni ad matutinum in festo ejusdem *S. Joannis* idem *Paulus* auctor dicitur: in illo legimus:

Præbuit durum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes,
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Camelus subministravit *durum* et asperum operimentum *sacris artubus*, seu membris *S. Joannis*; se enim induit *Matth.* c. 3. vestimento è pilis camelorum, qui ei erant in cilicium durissimum. *Bidentes* autem, seu oves ei dederunt *strophium*, seu cingulum ex earum pelle formatum. Deindè dicitur de illius cibo et potu his verbis: *cui latex* seu aqua tribuit *haustum*, id est, potum, et mel silvestre sociatum locustis *pastum*, seu cibum. Hic adverti potest locustas (gallicè *sauterelles*) saltem pauperibus per Palestinam fuisse in cibum, sed coctione præparatas, quam præparationem refugiebat pœnitentia præcursoris, sic ut eas crudas voraverit.

IX. In hymno ad laudes ejusdem auctoris habetur:

Serta ter denis alios coronant
Aucta clementis, duplicata quosdam;
Trina te fructu cumulata centum
Nexibus ornant.

Ante horum versuum elucidationem, sciendum est *Matth.* cap. 13 in parabola de semine dici, *fructum affert et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum.* Et *Marci* c. 4. ordine inverso *unum trigesimum, unum sexagesimum, et unum centesimum.* Porrò significatur merita in nonnullis crescere tantum usque ad trigesimum, in aliis ad sexagesimum, et in aliquibus usque ad centesimum. Hocposito sensus est: *serta* seu coronæ (gallicè *guirlandes*) *aucta ter denis* augmentis, id est, triginta herbis odoriferis, seu floribus alios *coronant*, seu decorant; duplicata illa *serta*, id est, sexies denis, seu sexaginta augmentis quosdam vestiunt, sed trina *serta*, seu ter multiplicata *te Joannem centum nexibus* florum *ornant.* Hoc est summatim, *Joannem Baptistam* ad summum perfectionis et sanctitatis pervenisse, et consequenter in cœlis ad præmium superioris ordinis.

Vel rectius et litteræ conformius in his versibus describuntur aureolæ, quæ virginibus, doctoribus et martyribus in cœlo reservantur: ii qui virginitatem hic in terris solum coluerunt, unam tantum in cœlis palmam, nempe virginum consequuntur; idque significatur his verbis: *Serta ter denis alios coronant aucta crementis.* Qui verò virgines simul et doctores fuere, duplicem palmam recipiunt juxta illud hymni *duplicata quosdam.* Qui autem virginitati et doctoris officio simul conjungunt martyrium, tribus palmis decorantur; et ideò cum sanctus *Joannes Baptista* fuerit virgo, propheta, seu doctor et martyr, de eo cantatur *trina te fructu cumulata centum nexibus ornant.* Sed quare centum nexus ei dantur

et non nonaginta, cum cuilibet virtuti triginta tantum tribuantur? Huic responderi potest dicendo, sanctum *Joannem* sanctitate extraordinariam fuisse donatum: unde Christus de eo dixit: *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ*; ideòque præmium illius supra mensuram ordinariam extollitur.

*Nunc potens nostri meritis optimis
Pectoris duros lapides revelle,
Asperum planans iter, et reflexos
Dirige calles,*

Nunc potens apud Deum *Joannes* meritis tuis *optimis*, seu copiosis *revelle*, tolle, seu remove *duros lapides* cordis nostri, id est, cor nostrum emollias *planans iter asperum*, id est, difficultates avertens quæ nobis occurrunt in via perfectionis et sanctitatis, et *dirige calles reflexos*, seu rectifica semitas curvas et malas, in quas tentatione, infirmitate, aut pravitate nostrâ inducimur.

X. Hymnus ad vespervas in festo SS. apostolorum *Petri et Pauli* tribuitur *Elpidi uxori Boëtii*, incipitque:

*Decora lux æternitatis auream
Diem beatissimis irrigavit ignibus
Apostolorum, quæ coronat principes,
Reisque in astra liberam pandit viam.*

Decora lux æternitatis, nempe Deus, qui luce æternâ perfundit cœlestem Jerusalem, *irrigavit* seu aspersit *diem auream* seu pretiosam mortis *apostolorum beatissimis ignibus*, id est lumine beatifico: dies verè

pretiosa , quæ coronat in cœlis hos duos Ecclesiæ principes , quæque reis verè pœnitentibus aperit liberam viam in astra , seu in cœlum empireum ,

*Mundi magister , atque cœli janitor
Romæ parentes , arbitrique gentium ,
Per ensis ille , hic per crucis victor necem ,
Vitæ senatum laureati possident.*

Mundi magister sanctus Paulus , atque cœli janitor sanctus Petrus , cui dictum est à Christo : Quodcumque solveris super terram , erit solutum et in cœlis ; parentes , seu patres urbis Romæ , quippe qui illam Christo genuerunt , arbitrique gentium , seu iudices primarii earum , et quibus præsertim hæc verba Scripturæ conveniunt : Sedebitis et vos super sedes duodecim , judicantes duodecim Tribus Israël. Ille seu S. Paulus per ensem periit , nimirum cervicis amputatione ; hic verò seu S. Petrus per mortem crucis victor in cœlum ascendit.

*Egregie doctor Paule , mores instrue ,
Et nostra tecum pectora in cœlum trahe ,
Velata dum meridiem cernat fides ;
Et solis instar sola regnet charitas.*

Paule doctor egregie mores nostros compone , et corda nostra ad Deum continuò tolle , dum , seu donec fides hic in terris velata , id est , obscura , cernat meridiem , hoc est , lucem increatam , seu Deum in sublimi solio gloriæ suæ , et donec ad instar solis lucidissimi charitas perfecta per visionem Dei in nobis regnet.

XI. Hymnus ad vespervas in festo *S. Petri* ad vincula ab eadem *Elpide* profluit, ac ita scribitur :

*Miris modis repentè liber, ferrea,
Christo jubente, vincla Petrus exuit,
Ovilis ille pastor et rector gregis
Vitæ recludit pascua, et fontes sacros,
Ovesque servat creditas, arcet lupos.*

Petrus ab *Herode Agrippa* detinebatur in carcere, quando *Christo jubente* subito factus est liber *miris modis*; obstabant enim carcer clausus, duæ catenæ, quibus erat constrictus, milites carcerem custodientes, sed hæc omnia vicit Dei omnipotentia, prout Act. 2. refertur his verbis: *Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter; et ceciderunt catenæ de manibus ejus, etc. Ille pastor et rector ovilis gregis Christi vitæ recludit pascua, et fontes sacros, id est, aperit pascua sacrae Scripturæ, verbi Dei, gratiæ et futuræ gloriæ, et fontes sacros, maximè Sacramentorum novæ legis, è quibus haurimus salutem. Ovesque servat creditas monendo, instruendo, easque dirigendo. Et arcet lupos, falsos doctores, qui quærunt animas perdere et mactare.*

XII. *S. Bernardus* habetur auctor hymni ad laudes in festo Transfigurationis Domini, ubi legitur:

*Quàm lætus est, quem visitas!
Consors paternæ dexteræ,
Tu dulce lumen patriæ
Carnis negatum sensibus.*

Christe , *consors et particeps paternæ dextræ* , seu gloriæ et beatitudinis æterni Patris , *quàm la-tus est* , quem visitas lumine gratiæ et misericordiæ ! *Tu dulce lumen patriæ cœlestis* , juxta illud Apocalip. cap. 21 : *Civitas non eget sole..... Nam claritas Dei illuminavit eam , et lucerna ejus est Ag-nus. Negatum sensibus carnis* , quia lumen illud superat capacitatem mentis humanæ , quæ ad il-lud pertingere nequit , nisi elevetur lumine glo-riæ : undè Apost. I. ad Corinth. cap. 2. ait : *Ocu-lus non vidit , nec auris audivit , nec in cor ho-minis ascendit , quæ præparavit Deus iis , qui dili-gunt illum.*

ARTICULUS IV.

De hymnis communibus.

I. AUCTOR hymni ad vesperas in natalitiis apo-stolorum est ignotus. Porrò sic inscriptus jacet :

*Exultet orbis gaudiis ,
Cœlum resultet laudibus ,
Apostolorum gloriam
Tellus et astra concinunt.*

Cœtum fidelium in terra viventium , et San-ctorum in cœlo existentium hortatur sancta Pa-rens Ecclesia ad celebranda apostolorum sole-mnia ; sensus igitur est exaratæ strophæ : *tellus* seu terra , *et astra* seu cœlum , id est mortales et cœlites *concinunt* , seu celebrant *gloriam* seu fe-stum *apostolorum*. *Exultet ergo orbis gaudiis* , seu

cœtus fidelium, qui Ecclesiam Dei componunt; sub illa festivitate simul exultet sacrificio laudis in gloriam apostolorum, et cœlum, seu Ecclesia triumphans,

Præcepta quorum protinus

Languor salusque sentiunt,

Sanate mentes languidas,

Augete nos virtutibus.

Ad hujus strophæ intelligentiam scire opus est apostolos duplicem à Christo recepisse potestatem, scilicet, morbos sanandi, de qua *Luc. 9: Dedit illis virtutem et potestatem.... ut languores curarent*; et alteram, purgandi animam ab infirmitatibus spiritualibus, de qua *Joan. 20: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Hoc posito, sensus est: potentes ô vos Ecclesiæ principes, quorum præcepta olim *languor et salus* senserunt, (ipsis enim mandantibus recedebant morbi à corporibus et in illa redibat sanitas: sic ad hæc verba Petri, *Act. 5: Surge et ambula: stetit claudus et ambulabat*) jam supplices exoramus, secundam in nos exercete potestatem: *sanate mentes languidas peccatis et vitiis: augete nos virtutibus*.

II. Auctor hymni ad matutinum in natalitiis Apostolorum fuit *S. Ambrosius*, doctor Ecclesiæ, qui sic illum intonat:

Æterna Christi munera,

Apostolorum gloriam,

Palmas et hymnos debitos,

Lætis canamus mentibus.

Canamus mentibus lætis, seu cum pia devotione *gloriam apostolorum*, id est, eorum *passiones*, *patientiam*, *labores*, et *miracula* quæ *patrârunt*. Voce pariter extollamus *palmas* seu *victorias* eorum, *et hymnos*, seu *laudes* debitas solvamus eis, cantemus etiam et maximè *æterna Christi munera*, hoc est, ejus *gratias*, quæ in ipsis et cum ipsis illa *prodigia* operatæ sunt.

Ecclesiarum principes,
Belli triumphales duces,
Cœlestis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.

Pergit S. *Ambrosius* designare materiam præsentis cantici, quasi diceret, *canamus apostolorum gloriam*, 1.º Quia fuerunt *Ecclesiæ principes*, seu *præsides*; prout scriptum est psalmo 44 : *constitues eos principes super omnem terram*. 2.º *Belli triumphales duces*, id est, *gloriosi* in *persecutione* *victores*, uti habet *Scriptura* ad *Heb. 11* : *fortes facti sunt in bello, vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*. 3.º *Cœlestis aulæ milites*, quia pro *cœlesti regno* hic in *terrâ* fortiter contra *dæmones* et *tyrannos* dimicaverunt. 4.º Tandem *et vera mundi lumina* per *prædicationem evangelii* : undè ad eos dicitur in *evangelio Matth. 5* : *vos estis lux mundi*.

Devota Sanctorum fides,
Invicta spes credentium,
Perfecta Christi charitas
Mundi tyrannum conterit.

Exprimit jam auctor hujus carminis quibus armis, seu mediis apostoli mundum vicerint, nempe virtutibus theologicis; fuit, inquit, *devota*, seu humilis eorum *fides*, fuit *invicta*, constans et fortis eorum *spes*; fuit et *perfecta* eorum *charitas*; hæcque unita fidei et spei, quas secum comites necessariò habet, *mundi tyrannum*, seu diabolum *conterit* et superat.

In his paterna gloria,

In his triumphat Filius,

In his voluntas Spiritus,

Cælum repletur gaudio.

In his virtutibus, de quibus in stropha præcedente, seu potiùs per has virtutes, vel rectiùs in his apostolis, seu per hos apostolos (1) triumphant Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et lætatur tota curia cœlestis.

III. Auctor hymni in festo confessorum ad vespas nescitur: in illo sequens tantùm stropha aliquam meretur animadversionem:

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,

Sobriam duxit sine labe vitam,

Donec humanos animavit auræ

Spiritus artus.

Qui confessor donec, id est, quamdiu Spiritus auræ, seu vitæ animavit humanos artus, seu humana membra; brevius, quamdiu in terris

(1) *In sæpè in Scriptura sumitur pro per; et ita frequenter Apostolus dicit in Christo pro per Christum.*

vixit, fuit *pious* seu misericors erga egenos. Fuit *prudens*, seu vitavit insidias, ut fidem intactam servaret, juxta illud evangelii, Matth. 10 : *estote prudentes sicut serpentes* : porrò serpentes, teste *Aristotele*, lib. 4. hist. Aminentis, cap. 17, dum senescunt per foramen gliscendo vetustam pellem detrahunt, ut novam induant. Ita et SS. confessores senectam mentis per innovationem spiritus et meditationem æternitatis exuunt, in quo stat prudentia salutis. Fuit *humilis*, nihil sibi tribuens, sed omnia divinæ virtuti et gratiæ. Fuit *pudicus*, seu castus, vel paulò latiori sensu, fuit mundus et purus, quatenus abstinuit à contaminationibus simulacrorum, fornicatione, et sanguine, id est, ab omni idololatria, luxuria, et homicidio. *Sobriam* tandem duxit *sine labe vitam*, id est, ab omni excessu in cibo et potu.

IV. In hymno virginum ad matutinum, cujus auctor nullibi citatur, difficultas quædam invenitur in carminibus sequentibus :

*Undè nec mortem, nec amica mortis,
Mille pœnarum genera expavescens
Sanguine effuso meruit serenum
Scandere cælum.*

Undè nec mortem expavescens, nec timens mille genera pœnarum mortis amica, seu quæ mortem inferunt; hic igitur supplicia mortis dicuntur ipsius amica, quia sunt apta ad illam inferendam. Meruit per effusionem sanguinis cælum intrare.

V. Hymnos anniversarii dedicationis ecclesiæ cecinit *S. Ambrosius*, Ecclesiæ doctor, in quibus

figuris variis ab ædificiis materialibus depromptis depingit Jerusalem cœlestis decorem. In illis legitur sequens stropha :

*Scalpri salubris ictibus ,
Et tunsione plurima
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt ,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.*

Hic fit allusio ædificiæ materialis ad ædificium spirituale cœlestis civitatis , sicut enim præparari debent lapides , antequam in locis suis deponantur , ita incolæ regni cœlestis præviè parandi sunt , antequam illuc introducantur : hoc posito , accipe sensum : *Saxa polita scalpri* (1) *salubris ictibus , et fabri malleo tunsione* , seu percussione *plurima* ; sunt electi hîc in terris à Deo eruditi et purificati multis tribulationibus : sic autem præparati post hanc vitam *molem construunt* civitatis Jerusalem ; *aptisque juncti nexibus locantur in fastigio* ; id est , Sancti in sua respectivè sede juncti et connexi ad instar lapidum in ædificio materiali , invicem sibi cohærebunt , et stabunt in summitate cœlorum per totam æternitatem.

VI. *S. Bernardus* est auctor hymni de Beata ad vespervas , qui incipit *Ave , maris stella* ; alii verò de eadem beata Virgine Maria tribuuntur

(1) Scalprum est instrumentum ferri acutum , quod multis convenit : undè gallicè redditur *serpe , serpette , ciseau de menuisier ou de charpentier , lancette , bistouri , rasoir* , etc. Sed hîc propriè sumitur pro illo instrumento , quo operarii lapides frangunt , limant et expoliunt.

Fortunato episcopo. In hymno ad laudes leguntur sequentes versus :

*O gloriosa virginum ,
Sublimis inter sidera
Qui te creavit , parvulum
Lactente nutris ubere.*

O gloriosa virginum, seu gloriosa super omnes animas, quæ castitate fulgent in cœlis. *Sublimis*, id est, elevata, super sidera, seu omnes Sanctos, de quibus scriptum est, *Matth. cap. 13* : *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Ita ut per sidera rectè hic Sancti intelligantur. *Qui te creavit*, parvulum seu Christum, *lactente nutris ubere.* Quidam super hoc optant emendationem, seu ut pro *lactente* legatur *lactante*; eò quòd *lactens* propriè significet eum, qui lac sugit; *lactans* verò rem è qua lac effluit: ita ut hic necessariò legendum sit *lactante nutris ubere*, et nequaquam *lactente*. Verùm adverti debet apud quosdam auctores, et notanter apud *Ovidium* *lactens* etiam sumi pro eo, quod lac emittit; adeòque in hoc hymno *lactens* retineri potest et debet: Vide *dictionarium Boudot*, verbo *lactens*.

*Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.*

Beata Virgo, tu reddis perdito generi humano vitam seu gratiam almo Christi germine, quod in utero victimam propitiationis concepisti; quam

vitam seu gratiam peccando à se et filiis suis *abstulit Eva tristes* ob ærumnas et pœnas peccati originalis. *Flebiles*, id est, homines sincerè gementes et pœnitentiam agentes *intrent lucidi ut astra* in regnum cœlestè: nam mediante illo germine salutis, scilicet Christo, omnibus verè pœnitentibus *cœli recludis*, seu aperis *cardines*, id est, ostium vitæ æternæ.

Ad majorem Dei gloriam, totius Ecclesiæ triumphantis honorem, et militantis utilitatem.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX

ARTICULORUM

TOMI TERTII.

	Pag.
PRÆFATIO ad lectorem.	5
ARTICULUS PRIMUS. De adventu.	9
ART. II. De vigilia et festo Nativitatis Domini.	17
ART. III. De festis infra octavam Nativitatis occurrentibus, et Epiphania.	26
ART. IV. De festo Purificationis B. M. V.	55
ART. V. De dominicis à septuagesima usque ad feriam IV cinerum.	45
ART. VI. De feria IV cinerum.	46
ART. VII. De jejuniis quadragesimali.	56
ART. VIII. De feria V post cineres usque ad dominicam palmarum.	65
ART. IX. De dominica palmarum.	76
§. I. De benedictione palmarum.	78
§. II. De processione hujus diei.	85
§. III. De missa dominicæ palmarum.	86
ART. X. De festis occurrentibus infra quindenam Paschatis.	89
ART. XI. De officio ultimi tridui hebdomadæ majoris.	97

	365
ART. XII. <i>De feria V in cœna Domini.</i>	101
§. I. <i>De cœremoniis missæ in cœna Domini.</i>	105
§. II. <i>De processione hujus diei.</i>	107
§. III. <i>De altarium denudatione.</i>	112
ART. XIII. <i>De feria VI in parasceve.</i>	115
§. I. <i>De prima parte officii fericæ VI in parasceve, seu de iis quæ sunt agenda in altari usque ad adorationem crucis.</i>	116
§. II. <i>De secunda parte hujus officii, seu de adoratione crucis.</i>	120
§. III. <i>De tertia parte, seu processione.</i>	124
§. IV. <i>De quarta parte, seu communionem.</i>	126
ART. XIV. <i>De sabbato sancto.</i>	131
§. I. <i>De igne novo.</i>	132
§. II. <i>De benedictione cerei paschalis.</i>	136
§. III. <i>De prophetiis et benedictione fontium.</i>	143
§. IV. <i>De litaniis et missa.</i>	147
ART. XV. <i>De die quo Pascha est celebrandum.</i>	155
ART. XVI. <i>De die solemnissimo Paschæ.</i>	159
ART. XVII. <i>De tempore Paschali.</i>	165
ART. XVIII. <i>De festis Ascensionis et Pentecostes.</i>	170
ART. XIX. <i>De festis SS. Trinitatis et corporis Christi.</i>	179
ART. XX. <i>Annotationes quædam in festa Sanctorum.</i>	190
ART. XXI. <i>De festo tituli seu patroni.</i>	208

§. I.	<i>De differentia inter titulum et ecclesiæ patronum.</i>	209
§. II.	<i>Quomodo et à quibus festum patroni seu tituli celebrari debeat?</i>	110
§. III.	<i>De tempore quo octavæ prohibentur.</i>	216
§. IV.	<i>De majori octavarum dignitate.</i>	220
§. V.	<i>De ordinatione officii et octavæ patroni.</i>	226
§. VI.	<i>De translatione festorum ratione octavæ.</i>	251
ART. XXII.	<i>De festo anniversarii dedicationis ecclesiæ.</i>	255
ART. XXIII.	<i>Annotationes in præcipuas partes officii.</i>	240
ART. XXIV.	<i>De cæremoniis divini officii.</i>	256
	<i>De benedictione aquæ, et aspersione.</i>	265

APPENDIX PRIMA.

	<i>De quibusdam spectantibus ad recitationem divini officii.</i>	271
ART. I.	<i>De iis, qui tenentur ad officium divinum.</i>	272
ART. II.	<i>De dispositionibus requisitis ad debitam divini officii recitationem.</i>	280
ART. III.	<i>De loco, tempore, et ordine divini officii.</i>	287
ART. IV.	<i>De qualitate breviarii quo quis uti potest et debet.</i>	505

APPENDIX SECUNDA.

<i>Annotationes in loca obscuriora hymnorum.</i>	309
ART. I. <i>De hymnis psalterii.</i>	311
ART. II. <i>De hymnis de tempore.</i>	322
ART. III. <i>Annotationes in hymnos proprios Sanctorum.</i>	342
ART. IV. <i>De hymnis communibus.</i>	354

FINIS HUIUS TABULÆ.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM MAGIS NOTABILIVM.

A

Absolutio : quare in officio præmittatur lectionibus ? pag. 248.

Annotationes in loca difficiliora hymnorum, pag. 309. et seq.

Adoratio crucis : quomodò et quo ordine facienda in parasceve ? pag. 120.

Adventus : quid olim : quid nunc ? p. 9. et seq. Ritus officii et missæ in adventu. p. 11. et seq. Omitenda suffragia, et quare ? p. 15. O septem ad *Magnificat*, et olim plura sicut et nunc in nonnullis ecclesiis. *ibid.* et seq.

Agnes (sancta) : quid servandum in translatione illius officii ? p. 190. et seq.

Amphibia : quid et an licitè comedantur in die jejunii ? p. 61.

Angelus, vide *Salutatio*.

Anniversarium dedicationis ecclesiæ : illius origo, p. 235 ; cujus ecclesiæ celebrandum ? p. 236. Quinam tenentur ad officium dedicationis ecclesiæ cathedralis ? *ibid.* et seq. Quinam ad officium ecclesiæ particularis ? p. 237. De officio et missa dedicationis in ipso die consecrationis, *ibid.* et seq. Optandum foret ut officium dedicationis eodem die ubique fieret ? p. 224. et seq.

Annuntiatio B. M. V., vide *Festum*.

Annus bissextilis quid ? modus illum inveniendi. p. 157. et seq.

Antiphona : hujus vocis etymologia , ritus et sensus. p. 246. et seq. Antiphonæ de Beata *Salve Regina* et aliæ quando mutandæ , quando recitandæ ? p. 255. et seq. Quando sub illis standum ? p. 261. Earum auctores. *ibid.*

Apparitio S. Michaëlis : quid agendum , si transferatur extra tempus paschale ? p. 197. et seq.

Ascensio Domini : illius objectum et spiritus. p. 170. Illius festi antiquitas , p. 171. Ad matutinum ponuntur antiphonæ ante et post psalmos , et quare ? p. 172. Cereus paschalis extinguitur et tollitur. *ibid.*

Aspersio aquæ facienda in dominicis , et quo ritu ac ratione ? p. 267. et seq.

Attentio requisita ad officium divinum. p. 281.

B

BARTHOLOMÆUS (sanctus) : ubi est patronus , quæ oratio sumenda pro illius suffragio ? p. 199. et seq.

Benedictio ante lectiones quid sit ? p. 248. Quando ponenda in plurali sub officio Angelorum. *ibid.*

Benedictio aquæ facienda omnibus dominicis. p. 265. Illius antiquitas , *ibidem*. Ritus aspersionis cum illa. p. 266. et seq. Usus aquæ lustralis quis ? p. 269.

Benedictio cereorum , vide *Purificatio*.

Benedictio cinerum , vide *Feria IV cinerum*.

Benedictio fontium. p. 144. et seq.

Benedictio palmarum , vide *Dominica palmarum*.

Benedictio rosæ aureæ. p. 67. et seq.

Benedictio cum SS. Sacramento frequentior improbatur. p. 188.

Beneficiatus tenetur ad officium ex justitia , et omittens illud ad restitutionem. p. 273. et seq. Quando exurgat hæc obligatio in beneficiato ? p. 274. Quid dicendum de hac obligatione pendente

lite ? p. 275. et seq. Quid de pensionariis et coadjutoribus ? p. 276. Quid de hac obligatione, dum fructus sunt tenues ? p. 277.

Breviarium : quare sic dictum ? p. 304. et seq. Quale erat antiquitus officium ? *ibid.* Quo breviario utendum ? *ibid.* Quo regulares ad pastorem promoti ? p. 306. et seq. Quo commorans in loco ubi viget breviarium particulare ? p. 307. et seq.

C

CAMPANÆ non pulsandæ pro defunctis horâ duodecimâ in festo omnium Sanctorum. p. 203.

Candela tripartita post missam sabbati S. tollenda. p. 152.

Canonicus : hujus vocis significatio. p. 287. Illius origo. *ibid.* Canonicus quis ? p. 288. Legitima vocatio in eo requisita, et quæ dispositiones ad illam ? *ibid.* et seq. Tenetur adesse omnibus officiis, et per se cantare. p. 289. Quo breviario uti tenetur. p. 306. Absens à choro tenetur legere officium defunctorum. p. 293. Tenetur adesse anniversariis à principio ad finem. *ibid.* Non potest missam celebrare sub officio. p. 294.

Canonissæ à choro absentes an teneantur ad privatam officii recitationem ? p. 278. et seq.

Capellanus ruralis ad quas octavas tenetur ? p. 214. et seq.

Caput quando coöperiendum ? quando discoöperiendum sub officio ? p. 262.

Cereus paschalis : illius benedictio et sensus benedictionis. p. 136. et seq. Vide *Sabbatum sanctum*.

Circumcisio : quomodo olim celebrabatur ? p. 29. et seq.

Clavi cerei : præter rubricas infiguntur cereo paschali. p. 141. et seq.

Clericus : vi adscriptionis quando teneatur adesse officiis ? p. 294. Ad quid ultra ? *ibid.*

Coadjutor : non tenetur ad officium canonicum.
p. 276.

Cænula , vide *Jejunium*.

Color : dominicæ infra octavam quis ? p. 228. et seq.

Commemoratio omnium defunctorum : quomodo celebranda , quando transferenda ? quid in illa observandum ? p. 201. et seqq. Quid agendum ubi hæc die occurrunt preces 40 horarum ? p. 203. Optanda hujus commemorationis perpetua translatio , et in quam diem ? p. 201. Quis auctor hujus commemorationis ? p. 204.

Cruces ecclesiæ : quando velandæ , et quousque ?
Quid velandum præter cruces ? p. 69 et seq.

D

DEDICATIO ecclesiæ , vide *anniversarium dedicationis*.

Denudatio altarium in die cænæ et illius ratio.
p. 112. et seq.

Devotio , requisita ad officium divinum. p. 285.
et seq.

Dominica tertia quadragesimæ : in illa fiebant scrutinia. p. 67.

Dominica Lætare : specialis illius ritus. p. 67. et seq. In illa Romæ benedicitur rosa aurea. p. 68.

Dominica passionis : quæ omittenda in officio et missa ? p. 71. et seq. Quot orationes tempore passionis in missa ? p. 72.

Dominica palmarum : undè sic dicta ? p. 76. In ea fit benedictio palmarum , et à quo tempore ? p. 77. et seq. De ordine servando in earum distributione. p. 81. Modus et ordo processionis. p. 83. et seq. Rubricæ spectantes ad missam. p. 86. et seqq.

Dominica Resurrectionis , vide *Pascha*.

Dominica in albis : quare sic dicta ? In ea fieri nequit de anniversario dedicationis. p. 165.

E

EPIPHANIA : quid ? p. 30. et seq. Ritus hujus festivitatis et privilegia. p. 31. Quid dicendum de sorte quæ hâc die mittitur ad regiam dignitatem ? *ibid.* Quid de usu invertendi in quibusdam locis modum processionis ? p. 32.

Episcopus consecrans ecclesiam , potest officium dedicationis illius legere. p. 239. et seq.

Evangelium : quare idem sabbato et dominicâ sequente quartâ adventûs. Item sabbato et dominicâ secundâ quadragesimæ. p. 13. et seq.

Expositio SS. Sacramenti frequens improbatur. p. 187.

F

FERIA *IV cinerum* : quare sic dicta ? p. 46. et seq. Usus antiquus. p. 47. et seq. Privilegium hujus feriæ p. 48. Materia ex qua fiunt cineres. p. 49. Eorum benedictio. *ibid.* et seq. Modus illos imponendi. p. 50. Cineres benedicendi ab eo qui missam celebrat. p. 52. Oratio super populum hâc die ponenda et deinceps, et quâ ratione ? p. 53. et seq. An benedici possint cineres ante missam solemnem ? p. 54. De habitu ad missam hâc die et postea. *ibid.* et seq. Quo spiritu cineres recipiendi ? p. 56.

Feria V in cæna Domini : omni tempore celebris. p. 101. et seqq. Cæremoniæ missæ hujus diei p. 105. et seqq. Processio hujus diei. p. 107. et seq. Denudatio altarium , et ratio illius. p. 112. et seq. Lotio pedum. p. 114. et seq.

Feria VI in parasceve : quid parasceve ? p. 115. Hâc die non offertur sacrificium. p. 116. Cæremoniæ hujus diei. p. 116. et seqq.

Feria VI ante Pentecosten : quod officium admittat ? p. 173.

Feriæ adventûs sunt majores. p. 14.

Feriæ tres post cineres sunt majores. p. 65.

Feriæ rogationum: quis earum ritus? p. 169. et seq.

Festa non transferenda ad annum sequentem, et. quid de illis agendum? p. 27. et seq. Item p. 206.

Festum Annuntiationis incidens in quindenam Paschatis quando et quomodo celebrandum? p. 91. et seq.

Festum Corporis Christi: auctor illius. p. 181. et seq. Ubi et quando fuerit institutum? p. 182 et seq. Quis auctor officii? p. 183. Solemnitas hujus octavæ. p. 184. et seq.

Festum S. Joseph incidens in quindenam Paschatis quando celebrandum? p. 89. et seq. Item. p. 94.

Festum omnium Sanctorum: illius origo. p. 201. et seq.

Festum 7 dolorum: cur sic dictum? Quando omitendum? p. 73. et seqq. Item. p. 195. et seq.

Festum SS. Trinitatis: à quo fuerit institutum? p. 180. Octava Trinitatis, ubi est titulus, minor est octava Corporis Christi. p. 179. et seq. Spiritus hujus festivitatis. p. 181.

G

GENUFLEXIO facienda ante crucem ultimo triduo majoris hebdomadæ. p. 123. et seq. Quando facienda infra officium? p. 258. et seq.

H

HEBDOMADA major seu sancta: undè sic dicta? infra quam olim servabatur abstinencia ab operibus servilibus. p. 76. et seq. Cur ultimo illius triduo ordo officii mutetur? p. 97. Ritus officii sub hoc triduo. *ibid.* et seq. Quid faciendum ubi preces 40 horarum in hoc triduo occurrunt? p. 100. et seq.

Hymnus: hujus vocis etymologia. p. 309. et seq. Hymnorum ætas. p. 310. et seq. Quando conclusio mutanda? p. 245. et seq. Loca difficiliora in hymnis explanantur. p. 311. et seq.

Hymnus, Iste confessor: quando hæc verba? *beatus scandere sedes* sint mutanda? p. 244. et seq.

Hymnus, Vexilla Regis prodeunt: adnotatio in hæc illius verba: *regnavit à ligno Deus*. p. 170. et seq.

J

JACOBUS (*sanctus*) vide *Philippus*.

Jejunium non habetur in dominicis et quare? p. 65. et seq.

Jejunium apud Græcos incipit ab altera septuagesimæ. p. 43.

Jejunium quadragesimale: illius origo. p. 56. Illius antiquitas, et rigor. *ibid.* et seq. Rigor ille jam remissus. p. 58. Cœnulæ quantitas in cibo et potu, ac horum qualitas. *ibid.* et seq. Origine hujus cœnulæ. p. 60. Quid amphibia, et an eorum usus sit licitus in die jejunii? p. 61. An potus extra refectioem liceat? *ibid.* et seq. Forma jejunii moderni. p. 63. et seq.

Jejunium IV temporum: illius antiquitas. p. 12. et seq.

I

INCENSATIO sub *Benedictus* et *Magnificat*. p. 263. et seq.

Inclinatio capitis quando facienda infra officium? p. 257. et seq.

Indulgentiæ in festis Annuntiationis et *S. Joseph* translatis, ubi figendæ? p. 96.

Indulgentiæ recitantibus salutationes angelicas ad pulsum campanæ. p. 241. et seq.

Indulgentiæ recitantibus officium defunctorum et beatæ Mariæ Virginis, ac psalmos graduales et pœnitentiales. p. 305.

Intentio requisita ad officium divinum. p. 286.

Inventio S. Crucis: quid agendum si transferatur extra tempus paschale? p. 197.

Joachim (sanctus) : quomodò officium illius impeditum transferatur ? p. 200.

Joannes Evangelista (sanctus) , vide *Officium*.

L

LAUDES possunt separari à matutino. p. 297. Dum separantur , an aliquid illis præmittendum ? p. 241.

Lectio de simplici quando legenda ? p. 251.

Lectio nona quando octavæ jungenda ? p. 250.

Lectiones matutini in festo patroni ponendæ sunt de Communi in primo nocturno. p. 227. Infra octavam de Scriptura occurrente. *ibid.* Quænam in secundo nocturno ? *ibid.* In tertio nocturno ? *ibid.* et seq.

Lectiones de Scriptura in fine anni quomodò legendæ ? p. 349.

Litaniæ minores seu rogationes : earum origo et antiquitas. p. 167. et seq. *Litaniæ Sanctorum* in illis , et in festo *S. Marci* non possunt legi pridie. p. 170.

Litaniæ majores : undè sic dictæ ? p. 191. et seq. Quando et quo ritu celebrandæ ? p. 192. et seq. Quando , à quo , et quâ de causâ institutæ ? p. 193. et seq.

Locus divini officii. p. 287.

Lotio pedum in die cænæ. p. 114. et seq.

Luna : modus facilis ad inveniendam illius ætatem menstruam omni tempore et die. p. 155. et seq.

M

MARCUS (*sanctus*) : quænam missa cantanda in illius festo , ubi una tantum cantatur ? p. 191. et seq.

Matutinum , dum separatur à laudibus , quomodò concludendum ? p. 241.

Michaël (sanctus) , vide *Apparitio*.

Missa dominicæ III adventus quomodò celebranda ? p. 11. et seq.

Tom. III.

Missa dominicæ Lætare, quomodo celebranda? p. 67. et seq.

Missæ duæ infra quadragesimam celebrandæ in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, et quomodo? p. 65.

Moniales quandonam teneantur ad Horas canonicas? p. 278.

N

NATIVITAS Domini habet octavam privilegiatam. p. 18. in fine et seq. Carnibus vesci licet in die illius festivo, et sabbatis sequentibus. p. 19. Tres missæ illo die leguntur. *ibid.* Rubricæ missarum hujus diei. *ibidem* in fine et seq. Quâ horâ celebrare liceat de nocte? *ibid.* et seq. Obligatio ad unam tantum missam. p. 24. Quid de eo, qui hâc die binat? p. 25. Si una tantum missa legatur, quænam legenda? *ibidem.*

Nocturnum matutini separari potest à nocturno, et quamdiù? p. 297.

Nocturnum ordinationis quid importet? p. 178.

Novitii non ligantur lege officii. p. 278.

O

O, Antiphonæ solemnes in adventu. p. 15. et seq.
Occurrentia officiorum ratione octavæ. p. 220. et seq.

Octava: quando non habeat locum? p. 216. et seq.
Octava inchoata quando et quomodo cesset? *ibid.*
De majori octavarum dignitate, et occurrentia variarum octavarum. p. 220. et seq. De occurrentia plurium dedicationum. p. 223. et seq. Quomodo ordinandum officium patroni, si sit alteri adjunctum in breviario? p. 226. et seq. Lectiones primi nocturni

in festo et octava patroni. p. 227. Quænam in II nocturno? quænam in III? *ibid.* Dum transfertur officium habens octavam, quot dies perdat de octava? p. 529. et seq. Qualem ritum habeat dies octava? p. 230. Concurrentia vesperarum ratione octavæ. *ibid.* Occurrentia ratione octavæ. p. 231.

Officium divinum : qui ad illud teneantur, et quando exurgat hæc obligatio? p. 273. et seq. Quæ dispositiones ad illius debitam lectionem. p. 380. et seq. Locus divini officii. p. 287. Tempus divini officii. p. 295. Ordo officii. p. 299. et seq. Quâ horâ pridie legi possit matutinum? p. 301. Quod officium recitare debeat transiens per locum, ubi sit officium diversum. p. 308. Quid servandum, quando officium recitatur cum socio, vel in choro? p. 301. et seq.

Officium ad libitum: quando locum habeat? p. 207.

Officium simplex : quando omittendum? p. 208.

Officium votivum SS. Sacramenti, et Conceptionis B. M. V. quando locum habeat? p. 206. et seq. In officio votivo B. M. V. dici debet antiphona *Post partum*, etc., non autem *Angelus Domini*. p. 207.

Officium SS. Stephani et Joannis quomodo ordinandum, ubi sunt Patroni? p. 26. Quid agendum si occurrat Patronus cum eorum festis, et sanctorum Innocentium? *ibid.* et seq.

Officium SS. Nominis Jesu impeditum quò transferendum? p. 190.

Officium Nominis Mariæ et Patrocinii, si impediatur quò transferendum? p. 200.

Oleum infirmorum : ad illud non requiritur essentialiter benedictio Episcopi. p. 102. et seq. Quando vetus comburendum? p. 104.

Oratio Dominica quando et quomodo in Horis dicenda? p. 240.

Oratio super populum, quando, quomodo, et quare ponenda? p. 53. et seq. Annotatio in Orationem anniversarii dedicationis Ecclesiæ. p. 225. In eam

quæ habetur post aspersionem. p. 266. In eam quæ dicitur in Completorio. p. 298.

Ordinatio sabbato sancto et sabbato passionis cur instituta ? p. 68. et seq. Olim fiebat solùm mense Decembri. p. 13.

Ordinatus tenetur adimplere pensum sibi ab episcopo impositum. p. 177. Quid per nocturnum eidem impositum intelligatur ? p. 178.

Ordinatus titulo patrimonii ad quid teneatur vi adscriptionis ? p. 394.

P

PARAMENTA : quæ infra quadragesimam assumenda ? p. 54. et seq.

Pascha : quo die celebrandum ? p. 153. Festum solemnissimum. p. 159. Est fundamentum fidei et spei Christianæ. p. 160. et seq. Quare matutinum brevius in hac die ? p. 163. et seq. Vesperæ paschales olim diversæ. p. 164.

Passio quomodò cantanda et legenda ? p. 87. et seq.

Patrocinium B. M. V., vide *Officium*.

Patronus Ecclesiæ : quare assumatur ? p. 209. Differentia inter Patronum et Titulum. *ibid.* et seq. Quinam teneantur ad officium et octavam patroni ? p. 210. et seq. Quid de pastore, qui sub se habet capellas in ordine ad patronum et dedicationem earum ? p. 213. et seq. Quid de vicario capellæ in ordine ad octavas matricis Ecclesiæ ? p. 214. et seq.

Paulus (sanctus), quæ ipsius vesperæ, dum festum illius transfertur ? p. 198.

Pensionarius non ordinatus tenetur ad officium parvum B. M. V. p. 276.

Pentecostes : hoc festum figuratum in veteri testamento. p. 174. Festum celeberrimum. *ibid.* Ritus cantandi hymnum *Veni Creator* in vesperis. *ibid.* et seq. Infra octavam habetur ordinatio speciali ratione. p. 177.

Philippus et Jacobus (sancti): quomodo officium utriusque ordinandum, dum unus est patronus? p. 196. et seq.

Potus: an liceat extra refectioem in die jejunii? p. 61. et seqq.

Preces 40. horarum: Quid agendum quando incidunt in triduum majoris hebdomadæ? p. 100. et seq.

Purificatio B. M. V. quid? p. 33. De illius translatione. *ibid.* Ritus benedictionis et distributionis cereorum. p. 34. et seqq. De processione hujus diei. p. 39. et seq. De fine et usu cereorum. p. 41. et seq. De origine hujus festi. p. 42. in fine et seq.

Q

QUINDENA Paschatis: officia infra illam incidentia transferuntur, et quomodo? p. 90. et seq.

Quadragesima: quando olim incipiebat? p. 65. et seq. Prima dominica illius dicta tædarum et quare? p. 66. Ritus hujus dominicæ et sequentium. *ibid.* et seq. Dominica III dominica scrutiniorum. p. 67. Ritus specialis dominicæ IV. *ibid.* et seq.

R

REGULARES quandonam teneantur legere officium? p. 278. Quo breviario uti possunt? p. 306. Ad pastoratum promoti uti debent breviario loci. *ibid.* et seq. Quomodo et quando officia patroni loci et dedicationis recitare debent? p. 211. et seq. Regulares non possunt agere processiones extra ambitum ecclesiarum suarum. p. 189. Tenentur adesse processioibus publicis. *ibid.*

Remigijs (sanctus): quid agendum, dum illius officium concurrit cum alio? p. 200.

Responsorium: quid significet? p. 251.

Rochus (sanctus) est tantum beatificatus. Officium et missa possunt celebrari in locis dumtaxat, ubi est patronus. p. 198. et seq.

Rogationes, vide *Litanias*.

Rosarium B. M. V. illius officium impeditum: quò transferendum? p. 200. et 223. et seq.

S

Sabbatum sanctum: quare sanctum? p. 131. Benedictio novi ignis et illius ratio. p. 132. et seqq. Benedictio cerei paschalis et illius rationes. p. 136. et seqq. Quid dicendum de his verbis in præconio paschali: *O felix culpa*, etc. p. 189. et seq. De materia et forma cerei paschalis, et an infigi possint in eo clavi cerei? p. 140. et seqq. In quo stet benedictio hujus cerei? p. 142. in fine et seq. Benedictio fontium hâc die celebratur p. 144. et seq. Rationes hujus benedictionis. p. 145. et seq. De ritibus missæ hujus diei. p. 149. et seqq. Episcopus hâc die ordines conferens prophetias legere tenetur. p. 152. et seq.

Salutatio angelica: quando in officio dicenda. p. 241. Indulgentiæ concessæ illam recitantibus ad pulsus campanæ. *ibid.* in fine et seqq.

Sebastianus (sanctus): quomodo ordinandum officium, ubi est Patronus? p. 226.

Septuagesima: quid? p. 43. Recitetur *alleluia* et quare? p. 44. Orationes in missa tempore septuagesimæ. p. 45. Privilegia hujus dominicæ et sequentium. p. 46.

Sessio infra divinum officium. p. 262.

Signum crucis: quando et quomodo formandum infra Horas canonicas? p. 256. et seq.

Silvester (sanctus): ubi est Patronus, quomodo ordinandum illius officium? p. 218. et seq.

Statio: quando observanda sub officio? p. 260. et seq.

Stephanus (sanctus), vide *Officium*.

Sternutatio; undè ad illum bona precatio? p. 193. in fine et seq.

Suffragia Sanctorum: quando, quomodo, et quo

ordine ponenda ? p. 252. et seqq. Cujus suffragium ponere debeat, qui plura possidet beneficia ? p. 254. Cujus etiam, qui per accidens in aliena residet ecclesia ? 255. Quo loco fieri debeat suffragium sancti veteris testamenti. *ibid.*

Symbolum : quando in officio recitandum ? p. 244.

T

TEMPUS divini officii. p. 295. et seq.

Tempus paschale : quo ritu infra illud officium sit celebrandum ? p. 165. et seq. Hoc tempore non fiunt commemorationes communes de Sanctis. p. 167.

Theopheria quid ? p. 186.

Tractus : quando dicendus tempore Septuagesimæ ? p. 45. in fine et seq.

Translatio officii : differentia inter translationem et mutationem diei. p. 233. Casus, in quibus infra octavam fit de semiduplici translato. p. 231. et seq. Casus illi non currunt pro duplicibus. p. 232. Ordo servandus in repositione officiorum translatorum. p. 234. et seq. Officia impedita non transferuntur ad annum sequentem. p. 27. et seq., item. p. 206. Translato officio, festum in populo non transfertur. p. 89. et seq.

Tunsio pectoris : quando facienda sub officio ? p. 280. et seq.

Trinitas, vide *Festum Trinitatis*.

V

VERSUS in officio : quare sic dictus ? p. 248.

Vesperæ patroni et dedicationis : dum concurrunt, quid agendum ? p. 228. et seq.

Vesperæ sabbati sancti. p. 68. et seq.

Vigilia : in adventu occurrens quando et quomodo celebranda ? p. 14. et seq.

Vigilia Nativitatis Domini : jejunium, missa, et ritus illius. p. 17. et seqq.

Vigilia Epiphaniæ: ritus illius et privilegium. p. 29. et seq.

Vigilia S. Matthiæ: observatio in illam. p. 191.

Vigilia Paschæ, vide *Sabbatum sanctum*.

Vigilia Pentecostes: illius solemnitatis. p. 173. Jejunium habet, et à quo tempore. *ibid.* et seq. Illius ritus. *ibid.* in fine et seq.

Vigilia S. Joannis-Baptistæ: est anticipanda quoad jejunium, ubi viget, dum occurrit cum festo Corporis Christi. p. 198.

FINIS.

APPROBATIONES.

Hoc opus, cui titulus *Praxis divini officii* desiderabatur. Ecce jam paucis quidem, sed accuratè completa sunt quæ de officiis divinis dicenda erant: ita ut excusationem non habeant qui faciunt opus Dei negligenter. Leodii, hæc 12 Octobris anni 1772.

G. LA RUELLE, *Examinator Synodalis*
et Librorum Censor.

Opus, cui titulus *Praxis divini officii*, etc., antehac sufficienter discussum, et probatum, cum magno lectorum fructu iterum excudendum censeo. Dabam Leodii, hæc vigesimâ Septembris 1779.

HEN. MASSIN, *Pastor S. Michaëlis, Examinator Synodalis*, ad hujus operis examen deputatus.

PERMITTIMUS reimpressionem. Leodii, hæc 5. Aprilis 1817.

J. A. BARRETT, *Vic. Gen.*

PUBLICARI permittimus typographo nostro
P. J. HANICQ.

Datum Mechliniæ 4 Febr. 1830.

J. FORGEUR, *Vic. Gen.*